

PA 6516

.25 N5

Copy 1

PA 6516

.Z5 N5

Copy 1

61.9
516
515
SPICILEGIUM CRITICUM

IN CORNELIO NEPOTE.

SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE

AD VENIAM DOCENDI ADIPISCENDAM

D. IX M. MARTII A. MDCCCL

IN AUDITORIO IURIDICO

AB ILLUSTRIS ICTORUM ORDINE CONCESSO

DEFENDET

CAROLUS NIPPERDEY

PHIL. D. AA. LL. M.



LIPSIAE

TYPIS BREITKOPFII ET HAERTELII.


[1850].

PA 6516
Z5N5

I.

Cornelii Nepotis reliquias qui secundum artis leges recenseret primus inventus est anno MDCCCXLI Carolus Ludovicus Rothius Brisigavus. Nam Beneckius eodem fere tempore (etsi enim extrema editionis suae anno MDCCCXLII exeunte scripsit, non viderat tamen editionem Rothii) cum nova subsidia non comparasset, paratis non ea qua par erat diligentia usus esset, quippe qui fungi sese officio posse confideret si editiones Bardilli, Fischeri, Heusingeri adhibuisset, neque de auctoritate codicum satis recte existimare neque eum inde quem licebat fructum percipere potuit. Idem ad scriptoris verba coniectura emendanda tantum attulit ut nihil sane dignum commemoratione effecisse videatur. Sed Rothius et apparatus eum collegit et de auctoritate codicum ita iudicavit et quae hac auctoritate effici poterant tam diligenter et considerate persecutus est perpauca ut desideres quin huic parti critici muneris plene satisfecisse censendus sit. Quas reliquias cum colligere in animo sit antequam ad alteram critici officii partem praetermissam a Rothio accedam, non repeterem ea quae recte ille de codicibus disputavit nisi quorundam qui post eum de Cornelio Nepote scripserunt eam infirmitatem et inconstantiam iudicii in hac re animadverterem ut quo fundamento emendatio scriptoris niti debeat nondum omnes satis perspexisse videantur. Dicam autem, ut par est, de iis tantum codicibus qui non uno et altero loco inspecti, sed aut plene aut certe perpetuitate quadam collati sunt. Et quamquam in minoribus quibusdam rebus paulo distinctius me hanc quaestionem persecuturum arbitror, exemplis tamen ex scripturis codicum afferendis super sedere possum, cum et qui accurate in hanc rem inquirere volent materiem omnem in margine editionis Rothianae apte dispositam habeant et qui hunc laborem defugient quod satis sit in Rothii commentatione quae est de auctoritate codicum possint invenire.

Quod igitur in plerisque veterum scriptorum libris qui aetatem tulerunt idem in Cornelio Nepote usu venit, ut codices omnes qui supersunt ex uno aliquo satis recenti vitiisque non paucis et lacunis deformato orentur. Ex hoc codice qui periit duo alii sunt ducti, quorum alter est qui tamquam plures essent Danielinus et Gifanianus appellatur et unde permulta in editione Ultraiectina et simulatione Leidensis cuiusdam codicis (primum vocant) in commenticia eius collatione prolata sunt. Atque hunc codicem, qui saeculo sextodecimo a compluribus hominibus doctis versatus hodie frustra quaesitus est, longe altero praestantior fuisse cum menda permulta tum defectus omnium reliquorum codicum demonstrant quae ex hoc codice correctae sunt et expleta. Etenim ille alter codex quem ex archetypo ductum diximus, qui item amissus est, fons extitit omnium reliquorum codicum quotquot adhuc praeter Danielinum sunt inspecti, iique item per duos codices ex illo propagati sunt, quorum alter superest, Guelpherbytanus, alterum qui periit communibus ceterorum codicum lacunis aliisque vitiis quibus soli Danielinus et Guelpherbytanus immunes sunt cognoscimus. Inde origo codicum trifariam dividitur. Nam ex uno codice orti sunt Sangallensis, Urbinas numero ccccxvvi, Faesulanus, Ottobonianus numero mcccclv, Alexandrinus numero dclxviii, Patavinus et qui ad deteriores deflectit Monacensis; ex alio codices collegii Romani et Savaronis (atque inter haec duo genera Leidensis secundus et Vossianus primus ita fluctuant ut ille in plerisque cum priore, hic cum altero consentiat, ad quod etiam Vossianus tertius, de quo non satis constat, videtur pertinere); ex tertio denique reliqui omnes qui quidem paulo accuratius sint collati. Sed hi quos extremo loco commemoravi, quos brevitatis causa deteriores appellabo, et in plura genera discedunt, et rursus in singulis cum horum generum confusio tum correctio ex aliis codicibus eius potissimum familiae cuius codices collegii Romani et Savaronis sunt apparet. Verum haec persequi inutile est, cum ea sit horum codicum condicio ut tum demum cum aut omnes aut plerique consentiant et quid in codice eorum principe scriptum fuerit demonstrant ad eruendam codicis archetypi scripturam adhiberi possint. Itaque his relictis quo facilius percipiantur quae de origine codicum disputavimus tabulam cognationis subieci, in qua codices qui perierunt Graecis litteris significati sunt.



Iam vero cum omnes codices qui supersunt ex uno illo quem littera *A* significavimus fluxisse compertum sit, ea quae Nepos scripsit non posse restitui apparet nisi quid in illo codice scriptum fuerit teneamus. Atque id quidem dubium non erit cum omnes codices consentient; in dissensu codicum considerandum est quid sequendum videatur. Iam primum iis locis quibus Danielinus et ille alter codex cuius scriptura ex reliquis efficitur dissentiunt, cum ex iis rebus quas supra commemoravi Danielinum longe illi alteri codici praestitisse cognoverimus, ubicumque aberratum esse in Danielino certis argumentis demonstrare non potuerimus hunc ipsam codicis archetypi scripturam servasse censendum erit; si-cubi erroris hic codex convictus fuerit id esse verissimum unde facillime error illius nasci potuerit. At plerumque antequam Danielinum et illum alterum codicem quem *B* diximus contendere possimus dissensus reliquorum codicum facit ut quid in hoc scriptum fuerit indagandum sit. In qua re inter Guelpherbytanum et eos codices qui ex codice *I* fluxerunt eandem rationem intercedere atque inter Danielinum et eos qui ex codice *B* orti sunt item ex iis quae paulo ante de Guelpherbytano monuimus perspicitur. Atque hi duo codices soli ita sunt scripti ut perraro et in levissimis tantum rebus antiqua scriptura de industri immutata esse videatur; reliqui omnes aut ipsi compluribus locis sunt adulterati aut ex adulterato fonte originem trahunt. Atque haec libido, cuius prima atque aperta vestigia in codice *I* apparent, et in codicibus *A E Z* et in singulis qui inde orti sunt latius manavit, ita ut in prima et tertia familia ea quae non intellexerentur aut minus recta viderentur, sed in prima et multo paucioribus locis et longe cautius, in secunda ea quoque in quibus homo neque ineptus et sermonis Latini satis peritus elegantiam desideraret pro arbitrio immutarentur. Hac ratione permulti errores codicis archetypi sunt emendati, longe plura aut ipsa vera aut veri vestigia corrupta sunt et obscurata, ut nihil

dicamus de erroribus et neglegentia librariorum quibus maxime deteriores codices conspicui sunt. Sed si quaerimus quae sit horum codicum ad scripturam codicis *I* inveniendam auctoritas, hoc tenendum est optimam esse familiam ex codice *A* ortam, secundum locum obtinere quae ex codice *E*, ultimum quae ex codice *Z* originem duxit; nullam tamen ita praestare ut inferiorem neglegere liceat. Ubi cumque igitur hae tres familiae omnes inter se ita dissentient ut neque Danielino aut Guelpherbytano adhibito neque rationibus ex ipsis scripturis petitis, sed sola auctoritate horum codicum quid in codice *I* scriptum fuerit diiudicandum sit, primae familiae testimonio est credendum; consentiens vero eodem casu duarum reliquarum testimonium primam erroris aut fraudis convincere censendum est.

Atque haec esset certa atque expedita ratio codicis archetypi restituendi si in apparatu critico eorum tantum codicum quos Graecis litteris notavimus scripturas desiderarem. At cum codex omnium optimus, Danielinus, hodie superesse non videatur, ab iis autem qui eo uti potuerunt neque plene neque satis accurate collatus sit, non raro quae de eo traduntur dubitationi sunt obnoxia, saepe quid in eo scriptum fuerit comparata editione Ultraiectina aut commenticia illa Leidensis primi collatione cum scriptura reliquorum codicum coniectura eruendum est, saepe denique ne hoc quidem fieri potest. Quae cum ita sint, multis locis non codicis archetypi scripturam, sed eius tantum quem *B* diximus inveniri posse apparet. Qua re quibus locis fiat ut minus recte de iis quae Nepos scripserit iudicemus non sentimus ubicumque ex reliquorum codicum scriptura quid in codice *B* scriptum fuerit certo nobis efficere videmur; molesta oritur dubitatio cum Guelpherbytanus ita a consentiente reliquorum codicum testimonio discrepat ut utrum sequendum sit sola Danielini auctoritate qua destituimur discerni possit. Neque enim desunt loci quibus in Guelpherbytano aberratum, in reliquis codicibus verum servatum esse Danielinus demonstret. Itaque cum huiusmodi dissensus inter Guelpherbytanum et reliquos ex codice *B* ortos in minoribus rebus accidit, velut in orthographicis et declinationum flexionibus, cum haec in recentioribus codicibus pro arbitrio mutata esse constet, satis tuto unum Guelpherbytanum sequimur; cum reliqui codices ita ab illo discrepant ut, si Guelpherbytani scripturam in codice *B* fuisse statuamus, non intellegatur quomodo inde aberrari potuerit, ne ab eo qui Guelpherbytanum scripsit decipiamur cavendum est. Sed commode

evenit ut duobus tantum locis hac dubitatione implicaremur : Ep. 7, 1, ubi in Guelpherbytano est *cives sui praeficere*, in reliquis *cives praeficere*, et Att. 8, 4, ubi in illo *quantum eae*, in his *quantum hae* scriptum est. Nam Ep. 1, 1 *scribamus*, pro quo in Guelpherbytano *scribimus* legitur, necessarium est et propter *videntur* et propter *praecipienda* (vid. Madvig. art. § 360), neque probabile est tam obtusis auribus fuisse Nepotem ut Eum. 3, 2 scriberet *Aegyptum oppugnatum adversum Ptolemaeum*, quae leguntur in Guelpherbytano, cum in reliquis sit *adversus*. Praeterea ex duabus illis familiis quarum praecipua est ad restituendum codicem *I'* auctoritas primae unum Sangallensem, alterius nullum plene et accurate collatum habemus. Atqui harum familiarum singuli codices nequaquam ubique ita consentiunt ut cum quid in uno scriptum sit teneas familiae testimonium tenere te confidere possis. Itaque optandum est ut codex Urbinas numero ccccxvii (nam reliquis facile carebimus), itemque codex collegii Romani et Savaronianus, quem hodie Montisferrandi servari probabiliter suspicatus est Rothius, non, ut factum est, per partem aliquam aut quamvis multis locis sed toti accurate conferantur. Quamquam cum hoc factum fuerit magis id effectum iri arbitror ut quam exigua horum codicum auctoritas sit apertius intellegamus quam ut in codice archetypo restituendo adiuvemur.

Iam eorum locorum quibus Rothius a restituenda codicis archetypi scriptura aberravit duplex genus est. Primum enim etsi singulari industria omnia quae de codice Danielino tradita erant collegit et perite et circumspecte quam vere tradita essent iudicavit, tamen paucis locis accidit ei ut in hac parte falleretur. Atque vellem sane quae ex Danielino annotata erant non ei rationi qua ipse scripturas codicum retulit accommodasset, sed ipsa eorum verba qui de codice referebant posuisset : nam cui haec inspicere non licuerit nemo satis recte qua fide singulis locis de codice relatum sit existimabit. Sed ego eos tantum locos persequar quibus error Rothii fecit ut scriptoris verba minus recte constitueret. Milt. igitur 4, 5 ex reliquis codicibus haec efficiuntur quae scripta sunt apud Rothium : *Id si factum esset, et civibus animum accessurum, cum viderent de eorum virtute non desperari, et hostes eadem re fore tardiores, si animadverterent audere adversus se tam exiguis copiis dimicari*. Hoc ferri non posse et aut *auderi dimicari* aut *audere dimicare* scribendum esse iam ab iis intellectum est qui deteriores codices correxerunt. Sed horum

prius insolens est, alterum quemadmodum recte hoc loco poni putarem in annotatione edit. p. 11 ostendi. Iam vero in Danielino *dimicarent* scriptum esse refertur. Quod cur Rothius falso relatum putarit non perspicio: neque enim dubito quin ea scriptura in codice archetypo *dimicare* exaratum et super extremam syllabam litteras *ri* scriptas fuisse significetur. Ibid. 6, 3 Rothius Danielinum, ut putabat, secutus edidit *in porticu quae Ποικίλη vocatur*. At mihi dubium non est quin hoc loco Daniel non codicis scripturam, sed ut pluribus locis suam annotationem posuerit. In codice enim ut in reliquis bonis *Poecile* scriptum fuisse constantia omnium bonorum codicum persuadet qua Graecarum vocum scribendarum eam rationem servarunt quam ad praef. 7 edit. p. 5 exposui. A qua ne quis Con. 3, 3 discedi putet, quod ibi in Guelpherbytano *prochisnesin*, in Sangallensi *prochisnesim* similiterque in aliis codicibus scriptum sit ob eamque rem dubium videatur num in Danielino inventum sit quod refertur, *προσάννησιν*, litterae *ch* quae in illis codicibus remanserunt satis aperta Graecarum litterarum vestigia sunt. Simili errore Paus. 3, 6 factum est ut Rothius, cum in collatione Danielis invenisset *illotae* aliàs *heclotae*, *εἰλωται* scribendum esse in margine annotaret. Nam ibi quoque illa *aliàs heclotae* ab ipso Daniele (scripserat fortasse *heilotae*) adiecta esse inde perspicitur quod vocabulum *aliàs* non inclinatis litteris quibus ea quae ex codice referuntur scribi solent sed rectis scriptum est. Dat. 4, 4, ubi ex reliquis codicibus Rothius edidit *quaerit quibus locis sit Aspis; cognoscit haud longe abesse profectumque eum venatum. Quem dum speculatur, adventus eius causa cognoscitur*, non debebat dubitare num recte in Danielino *quae dum* scriptum esse referretur; id unum dubitare poterat utrum id ipsum an ut Ar. 1, 2. Dion. 6, 4 in Guelpherbytano compendium quo et *quae* et *quem* significatur in codice inventum esset. Sed utrum verum est, praeferendum erat *quae*. Nam Aspim quidem iam antea Datames speculatus erat, cum ubi esset quaereret; iam ea quae cognoverat quemadmodum se haberent speculabatur. Denique eiusd. Dat. 8, 2 apud Rothium haec leguntur: *Habebat barbarorum equitum xx, peditum centum milia, quos illi cardacas appellant, eiusdemque generis iii milia funditorum, praeterea Cappadocum viii milia, Armeniorum x milia, Paphlagonum v milia, Phrygum x milia, Lydorum v milia, Aspendiorum et Pisidarum circiter iii milia, Cilicum ii milia, Captianorum totidem, ex Graecia conductorum iii milia, levis armaturae maximum numerum*. Hic recte *milia* adiectum est ubicumque id

in Guelpherbytano et editione Ultraiectina legebatur neque de Danielino quicquam traditum erat. Nam cum id in superioribus editionibus deesset, non est verisimile in Ultraiectina de coniectura adiectum esse, sed ex Danielino petatum videri debet. Sed *Cilicum* n *milia* in una editione Ultraiectina scriptum est, in Guelpherbytano et reliquis omnibus *milia* omissum; qua auctoritate detracta hoc loco vocabulum illud non in codice inventum sed concinnitatis causa adiectum esse statuendum est. Idemque de his verbis: *ex Graecia conductorum* in *milia* existimandum, quamvis ibi *milia* in editione Ultraiectina (sed fuerat iam in superioribus) et Guelpherbytano scriptum sit, cum disertis Danielis testimonio, de quo immerito dubitavit Rothius, id in eius codice non fuisse constat.

Frequentius in altero genere peccavit Rothius, ut scripturas codicis Danielini, cum neque quin recte de eo referretur dubitandi causa esset nec quae referebantur vituperari possent (quamquam hoc quidem nihil ad Rothium), reliquis codicibus posthaberet. In qua re non id solum admiror quemadmodum ei qui quid ars posceret intellexisset accidere potuerit ut a se ipse desisceret, sed etiam, cum partem eorum locorum quos minus recte scripserat in addendis reprehendisset, quamobrem ceteros corrigendos non putarit. Haec enim sunt a Rothio in hoc genere praetermissa, ex quibus de quo uno num recte scriberetur dubitari poterat, id quod primo loco commemoravimus, de eo dictum est edit. p. 4: praef. 4 *habuisse*; Them. 9, 2 *adversum*; Paus. 4, 2 *cum cc milibus peditum — et xx equitum*, ubi *milibus* altero loco non solum in Danielino sed etiam in Sangallensi et plurimis deteriorum abest; 5, 2 *qui eum sequebantur*; Ep. 4, 4 *attulerat*, quod confirmat Guelpherbytanus; 6, 4 *Lacedaemonii sociorum*; Att. 4, 3 *oris atque vocis*; 11, 6 *ille prius*; 20, 2 *infinitas suas*.

His adiungi tertium poterat, quod Rothius quibusdam locis quibus in codice archetypo duplicem scripturam fuisse codices nostri demonstrant non eam quam debebat delegit. Sed cum ille id unum egerit ut codicem archetypum repraesentaret et nos quam prope ille codex ab iis quae Nepos scripserit afuisse videatur separatim tractare constituerimus, hic tantum monendum est Rothii rationes tulisse ut eiusmodi locis utramque scripturam poneret, de ipsis locis infra dicemus.

Etenim restituto codice archetypo iam alterum nascitur critici officium, ut quaerat num quae in illo codice scripta fuerunt omnia ab auctore scripta esse probabile sit quaeque ab eo non

potuisse scribi certis argumentis evicerit pro his ea quae ille scripserit reponat. Qua in re cum a superioribus multa recte, multa secus administrata, complura praetermissa essent, ab eo qui rectum et firmum totius negotii fundamentum iecisset, quo superiores fuerant destituti, non solum expectandum, sed postulandum erat ut et quae illi bene consuluerant prudenter delecta ascisceret et quae reliquerant ipse supplere conaretur. Quam officii partem quod praetermittendam sibi Rothius existimavit graviter mihi videtur reprehendendum. Aut enim prave ignorare aut arroganter non curare videtur quid et scientiae quam proficitur dignitati et in hac librorum copia eorum quibus scribit commode debeat qui opus quod et perpolire et certe aliquatenus perficere licebat rude et inchoatum protrudere sustinet. Neque eam excusationem accipio qua utitur Rothius, ut se iis subvenire voluisse dicat qui de auctore harum vitarum essent disputaturi: ipsius enim erat hanc quaestionem, si absolutam non putaret, ad exitum perducere. Sed tamen in margine exemplaris Rothiani, in quo tamquam cumulum officii sibi impositi emendationes nonnullas codicis archetypi adiecit, inter eas quas ipse excogitavit (monendi autem sunt qui libro utentur ne omnia quorum auctor commemoratus non est Rothii esse putent, id quod accidisse nonnullis video) sed inter eas emendationes quas ipse excogitavit tres inveni quae mihi laude dignae viderentur: *Milt. 5, 3 acie regione instructa non apertissima proelium commiserunt*; *Lys. 3, 2 Delphicum corrumpere est conatus*; *Att. 9, 7 a nonnullis optimatibus, familiaribus eius, reprehendebatur*. Iam Beneckii consilium in summa re sane illud prudentius quem eventum habuerit supra diximus. Post quem Reinholdus Klotzius cum editionem Billerbeckianam inter ipsum typhothetarum laborem ad editiones Rothii et Beneckii exigeret, tantum praestitit quantum huiusmodi festinatio et temporis angustiae patiebantur. Atque is ex iis quae ipse coniecit duo mihi probavit: *Ep. 5, 3 revocas* et *Cat. 3, 4 et peritus iurisconsultus*. Tam exiguo studio cum per octo annos homines docti instrumento parato et fundamento posito reliquum officium a Rothio desertum suscepissent, si ego quid efficere in hac parte possem experirer, non erat sane verendum ne cupide hoc negotium arripuisse viderer. Quod tamen potius delatum recepimus quam delectum apprehendimus. Nam cum nobis ex corpore scriptorum Graecorum et Latinorum annotatione Germanice scripta enarrandorum quod consilio et auctoritate Mauricii Hauptii et Hermanni Sauppil Weidmanni publicare instituerunt

Cornelii Nepotis edendi cura mandata esset neque a quoquam in eo scriptore emendando ita ut et potuisset et debuisset elaboratum esse animadverteremus, necessario hunc laborem assumere ipsi coacti sumus. Quid igitur in restituendo Cornelii Nepotis libro de excellentibus ducibus exterarum gentium et reliquiis libri de historicis Latinis et codicum auctoritate et coniectura cum aliorum tum nostra effici posse putarimus ex editione nostra perspicietur. Qua emissa, hoc quoque libello iam perfecto, ad me perlata sunt quae Theodorus Bergkii in Mus. Rhen. vol. vii p. 158 de tribus et Alfredus Fleckeisenius in Philologi Schneidewiniani vol. iv p. 308—351 de permultis Cornelii Nepotis locis scripserunt. Atque horum Bergkii Att. 3, 2 comparato Plut. Sull. c. 14 optime pro ignoto illo Phidia (in optimis codicibus est *fidiae*) Midiam ponendum suspicatus est; duos reliquos locos cur minus recte ab eo tractatos putem infra dicam. Fleckeisenius et nonnulla orationis vitia eadem quae ego sustuleram correxit et quae me fugerant haec recte mihi videtur invenisse: Them. 40, 3 *statua* scribendum esse, Dion. 9, 5 *facile intellectu est* itemque Att. 12, 5 *difficile est*; Ep. 4, 6, ubi in reliquis codicibus legitur *possemus*; ex Guelpherbytani scriptura *possimus* efficiendum esse *possumus*, de reg. 2, 4 Guelpherbytani et duorum aliorum codicum scriptura non *Aegis* sed *Aegis* significari. Reliqua aut ipsius aut Halmii commenta neque probo neque nunc quidem refutanda arbitror, nisi quae ad paucos locos pertinent de quibus antequam commentationem eius legeram dicendum videbatur. Nam cum duae res ei spectandae sint qui antiquum scriptorem emendare conatur, ut et vitium certis argumentis coarguat et ita corrigat ut origo vitii appareat, in utraque parte incredibili levitate usus est Fleckeisenius. Halmium enim, etsi non rectius in negotio versatus est (nam ea quae alii praeceperant, ut par est, non numero), sed tamen hunc non accusabo, qui exemplari Rothiano raptim perlecto quaecumque in mentem venerant cum Fleckeisenio communicavit quibus ille iudicio adhibito uteretur. Fleckeisenius autem iis quae disputavit manifesto ostendit se unam tantum partem scriptoris pertractasse, orationem. Et ne de hac quidem nisi in minoribus quibusdam rebus recte iudicavit, cum eam non ex codice archetypo diligenter et considerate pervestigato cognovisset, sed ad imaginem quandam a se ipso fictam codicem archetypum temere conformaret, quae in aliis scriptoribus recte observata erant ea prave ad Nepotem transferret, quarundam rerum notissimarum apertissimarumque ignorantia mire laboretur. Neque

vero ego rectius a Fleckeisenio criticum munus administrari non potuisse adducor ut credam (melius enim de eo existimare malo), sed non eam diligentiam adhibitam arbitror qua eos uti decet qui se publico iudicio committunt. Itaque neque ipsum neque alios aegre laturos spero quod editionem quam se emissurum promisit exspectandam constitui. Quod si se ipse reprehenderit et in viam reducerit, me molesta vituperandi necessitate liberari gaudebo; si in iis quae male mihi videtur egisse perseveraverit hisque alia vitia adiunxerit ex perverso iudicio de codicum auctoritate orta (nam ne quid deesset, fundamenta a Rothio posita levissime disiecit et disturbavit), eadem libertate qua de universa eius ratione dixi singula persequare neque defugiam officium minime illud quidem iucundum sed necessario subeundum. Ita enim aliorum superstitio aliorum levitas in has litteras invaserunt ut nisi unusquisque ab ea parte in qua se recte versatum esse confidit acriter eas propellat non videantur deleri posse.

Sed nos, ut de opera a nobis in recensendo et emendando Cornelio Nepote posita recte et plene homines docti iudicare possint, iam hoc libello expositis quae ex codice archetypo ascendenda Rothius reliquerat primum de universa ratione quam in emendando eo codice secuti sumus, tum de singulis locis quae opus erunt disputabimus.

Est enim hic scriptor ex eo numero in quibus difficilius quid emendandum quam quomodo emendandum sit discernas. Nam quid a scriptore profectum non videatur cum una ratione investigare possimus, ut quid aut in rebus falsum sit aut in sententiis corruptum aut in elocutione vel ab omni antiquitate vel a certa aetate abhorrens quaeramus, cum et ex illis generibus permulta et ex hoc peculiaria quaedam ita codicum auctoritate tradita videamus ut quin ipsi scriptori imputanda sint dubitare non liceat, permultis locis eam normam ad quam codicum fidem exigamus eripi nobis apparet. Sed tamen in hac re diligens observatio et constantia iudicii non mediocriter adiuvabunt. Nam ubicumque in vitia rerum aut sententiarum inciderimus aut singulare aliquid in elocutione offenderimus, primum quaeremus num quid eiusmodi omnino ab homine litterato proficisci potuerit, deinde num aliis locis similia tradita sint quae scriptorem id quoque de quo dubitamus ita scribere potuisse fidem faciant. At est illud lubricum in primis et fallax negotium affirmare quid ex hoc genere de quo agimus in hominem litteratum cadere possit. Qua in re ante omnia eorum error removendus est qui iis temporibus quae prae-

stantissima ingenia et doctissimos homines tulerunt neminem exiguo aut nullo ingenio praeditum doctrinaque destitutum in eorum scriptorum numerum pervenisse putant quorum libri ad nostram aetatem propagari potuerint. Nam qui ita statuunt cum quantam vim in antiquarum litterarum monumentis vel conservandis vel delendis casus et fortuna habuerint parum reputare, tum apud Romanos homines quantam commendationem emendatus sermo scriptoribus attulerit non satis intellegere videntur. Cui rei insigni documento sunt quae Cicero Brut. c. 58 sqq. de Curione patre narrat; qui cum litterarum admodum nihil sciret, in cogitando tardus, dissipatus in struendo, memoria autem tam nulla et actione tam perversa esset ut maximos risus commoveret, tamen splendore quodam et copia verborum in principibus patronis numeratus est. Itaque in Cornelio Nepote recte faciunt qui similia vitia et similem laudem fuisse putant, perverse et qui propter huiusmodi vitia eorum scriptorum quae eius esse gravissima argumenta demonstrant his argumentis credendum negant et qui reliqua quidem Cornelii Nepotis, vitia aut omnia aut quae ab ea antiqui scriptoris specie quam ipsi sibi finxerunt abhorreant librariorum esse existimant. Potius ita statuendum est neque in rebus, si perpauca excipias, ullum errorem a scriptore abhorre-
 rere nisi in quem ne hominem quidem nulla doctrina instructum incidere potuisse demonstraverimus neque sententiarum vitia ab eo aliena esse nisi quae mente captum fingere cogere, hoc est ea in quae cur inciderit causa nulla sano homini conveniens potuerit inveniri. Nam etsi dubitari non potest quin neque doctrina neque ingenio fuerit destitutus, tamen quanta haec fuerint et certo tempore et casu quantopere aut valuerint aut defecerint definire non licet, ita ut certa ratio, qua ars carere non potest, una illa relinquatur ut quod ei potuerit accidere id accidisse credamus ubicumque codicum testimonio fuerit traditum. Sed perpauca errores excipiendos dixi: nam sunt sane nonnulla ita comparata ut scriptorem in iis errare non potuisse persona doceat quam eum inter homines temporis sui sustinuisse constat. Et tamen in his ipsis cavendum est ne oblivioni cuidam quae vel ingeniosis hominibus nonnumquam et ad tempus accidit nihil tribuamus aut parum consideremus num neglegenter scribenti evenerit ut alia atque putaret scriberet. Quamquam autem, cum quaerimus utrum vitium aliquod scriptori an librario debeatur, non mediocriter iudicium nostrum in utramque partem movebit quam aut facile aut difficulter ea quae in codicibus scripta sunt ex aliis corrumpi

potuisse videantur, tamen hanc rationem non ita adhibendam iudicavi ut quaestionem dirimeret, sed ut dirempta quaestione id quod verum iudicassem aut certum aut dubitationi obnoxium putarem, cum permulta falsa in codicibus ita scripta esse constet ut neque mutari posse et si per se ipsa spectentur vera esse videantur, permulta vera ita ut facile aliter conformari possint. Sed eiusmodi loci quibus dubitari posse existimo an codicum fidei nimium tribuerim hi sunt. Alc. 5, 6 in his verbis: *Alcibiades simul cum collegis receperat Ioniam, Hellespontum, multas praeterea urbes Graecas quae in ora sitae sunt Asiae, in his Byzantium* cett. quod in annotatione edit. p. 55 scriptori ponendum fuisse dixi, *quae in ora sitae sunt Thraciae*, tam leni mutatione efficitur et tam gravis est error in situ notissimae urbis ut eum librario deberi sane probabile videatur. Non sum tamen ausus corrigere, quod illa quae de multis urbibus Asiaticis praeter Ioniam et Hellespontum receptis traduntur verisimile est illi exaggerandi studio deberi quo scriptor laborat; in his autem Asiaticis urbibus Byzantium ponere poterat non ignorans urbis situm, sed oscitanter scribens ut solet, cum quae antea scripsisset parum recordaretur et illud in his non tantum ad urbes Graecas in ora Asiae sitas quas proxime commemoraverat, sed etiam ad Ioniam et Hellespontum referri posse putaret. Item Alc. 6, 3 pro *coronis aureis aeneisque* scripsissem *coronis aureis taeniisque*, quemadmodum Nepoti scribendum fuisse Rinckius monuit, nisi, cum fontem quem hic secutus est scriptor non teneamus, temerarium esset affirmare nihil eum in errorem inducere potuisse. Neque Eum. 5, 1 Stavereni coniecturam secutus sum qui lenissima mutatione pro *Antigono* substituendum putabat *Antigenem* quem Nepotem apud auctorem suum invenisse certum est, quia talis negligentia ab ipso scriptore non abhorret. Neque Ag. 6, 3 Bosio obsecutus sum qui scribi iussit *Namque illi aucti numero eorum qui expertes erant consilii* (longius autem a codicum scriptura discedit Feldbauschii *addito numero*), cum discrepantia horum verborum cum superioribus quae retenta codicum scriptura *aucto* oritur inde nasci potuerit quod scriptor hic ut aliis locis diversas duorum auctorum narrationes male miscuerit. Dion. 5 extr. et quae perverse de Apollocrate traduntur et admirabilis illa aut negligentia aut ignorantia qua exitus belli cum Dionysio gesti praetermittitur facile averti a scriptore poterant, si eodem errore cuius plura in hoc libro exempla sunt librarium propter similitudinem litterarum ea quae interiecta erant omisisse statueremus. Sane enim quae in

codicibus leguntur, *Apollocrates*, cui maximam fidem uni habebat *Dion*, a librario poni potuerunt cum scriptum esset *Apollocrates*, cui maximam fidem uni habebat *Dionysius*, deinde ea sequerentur quae desideramus eorumque extremum vocabulum esset *Dion*. Non poteram tamen hoc vitium a scriptore alienum putare qui ne Hann. quidem 6, 1, ubi haec in codicibus leguntur: *Hinc invictus patriam defensum revocatus bellum gessit adversus P. Scipionem quem ipse primo apud Rhodanum, iterum apud Padum, tertio apud Trebiam fugarat*, errorem longe gravissimum verbis *filium eius Scipionis* post *Scipionem* insertis removendum, sed oblivioni illi de qua supra dixi tribuendum existimarem. Certioribus indiciis orationis vitia deprehenduntur. Nam cum restituto codice archetypo scriptorum Cornelii Nepotis universa forma ea prodeat quae emendato sermone et in summa re optimis eiusdem aetatis scriptoribus convenienti eum usum esse demonstret, si quid ab hac forma discrepans codicum auctoritate traditum fuerit, fidem iis habere non possumus nisi aut firmissimum eorum testimonium erit aut dubitationi obnoxium similitudine aliqua aut ex ipso scriptore aut ex eiusdem aetatis aliis aut ex universa sermonis Latini natura petita confirmari potuerit. Atque huiusmodi argumenta et exempla ad ea quae ex hoc genere reliquimus tuenda sedulo conquisita in editione nostra ascripsimus, ex qua etiam id perspectum iri arbitramur quam perverse egerint qui in summa orationis conformatione compluribus locis Cornelium Nepotem salebris, duritie, neglegentia liberare voluerunt, siquidem hi quod iis locis quibus facilis correctio videbatur non toleraverunt idem sicubi in firma codicum testimonia inciderant ne reprehenderunt quidem. Relinquuntur tamen in hac quoque parte nonnulla dubia. Velut Ag. 3, 4 in his: *vidit, si quo esset iter facturum palam pronuntiasset, hostis non credituros aliasque regiones praesidiis occupaturos neque dubituros aliud esse facturum ac pronuntiasset* incertum est utrum recte verbum *esse* iis locis quibus id participio perfecti passivi adiicitur satis defensum putarim an *sese* pro eo ponere debuerim, id quod Lieberkuehnius, qui primus de usu Cornelii Nepotis quem in annotatione edit. p. 116 exposui, sed magna ex parte minus recte dixit, cum coniecisset, postea improbavit. Them. 9, 4 vereor ut haec: *de his rebus quas tecum colloqui volo* edit. p. 30 recte excusaverim et quae correctum mallet. Item Cim. 4, 2 paenitet fere me non scripsisse *Saepe, cum aliquem offensum fortuito videret minus bene vestitum, suum amicum dedit*: neque enim eo quod una et certa formula forte fortuna

dicitur satis probari videtur eodem modo solum *fortuna* ponere licuisse. Qui autem *laesum fortuna* interpretantur ineptam sententiam inferunt: ita enim non offenditur fortuna nisi qui ex meliore statu in deteriorem coniicitur, hic autem omnes significari quorum vestitus paupertatem demonstrabat apertum est. Eum. 3, 4 quod quorundam codicum scripturam recepi *qui summa imperii potirentur*, cum in archetypo *summam* fuisse constet, de qua re dixi quaest. Caes. p. 19, mutationis facilitate temere abusus esse videri possum, cum Dat. 1, 2 scriptum sit *militare munus fungens*. Dubitavi tamen num scriptor quod in hoc participio admisit ad totum verbum translaturus fuisset, praesertim cum reliquis locis usitata ratione eum uti viderem.

Atque haec est universa ratio quam in emendando codice archetypo tenuimus. Iam singulatim eos locos pertractabimus in quibus constituendis quas rationes secuti simus obscurum esse poterit. Ut autem omnia quae ipsi in scriptore emendavimus hic coniuncta legantur, ea repetemus quae in Caesare nostro et in Philologi Schneidewiniani vol. I p. 667 de paucis locis disputavimus. Quem Philologi locum qui inspicient monendi sunt ea quae ibi dicta invenient de causis cur Nepos libro de excellentibus ducebibus exterarum gentium caput de regibus interposuisset postea a nobis reiecta esse et in editione reprehensa.

Praefationi et singulis vitis inscriptiones quae praeponi solebant codicem Monacensem secuti detraximus. Nam et a veterum scriptorum consuetudine abhorrent neque a Nepote positas esse initia earum vitarum de quibus edit. p. 17 ad principium Themistoclis diximus demonstrant. Ne in codice archetypo quidem fuisse sed in Danielino et reliquorum codicum principe primum adiectas esse discrepantia horum codicum ostendere videtur.

Milt. 2, 4 Rothius in addendis ex Danielino et Guelpherbytano restitui iussit *Ibi brevi tempore barbarum copiis disiectis*: nos cum superioribus reliquorum codicum scripturam *barbarorum* probavimus. Nullum enim aliud exemplum invenimus quo Neptem hac genitivi forma aliter atque Ciceronem et Caesarem usum esse demonstraretur. Nam Alc. 7, 4 in uno Guelpherbytano scriptum est *barbarum*; Ag. autem 4, 4 iidem illi codices qui Miltiadis loco *barbarum* exhibent *ephororum* servarunt, cum in reliquis scriptum sit *ephorum*. Paulo post, § 4, Rothius non improbase videtur quod in codicibus scriptum est, *Chersoneso tali modo constituto*, et Beneckius ei scripturae analogiam certe non refragari contendit, si vocabulum *Isthmus* spectetur. Quam analogiam

qualem putaret vellem explicasset: neque enim ullam video. Timoth. vero 1, 2, ad quem locum provocat Rinckius, verbis recte distinctis vitium quod aut librariis aut scriptori imputabatur removimus.

C. 8, 3 in optimis codicibus scriptum est *Nam Chersoneso omnes illos quos habitarat annos perpetuam obtinuerat dominationem*. Atque id quidem Beneckio tenendum erat qui Chabr. 3, 4 haec: *Conon plurimum Cypri vixit, Iphicrates in Thracia, Timotheus Lesbo, Chares Sigeo* ita probavit ut ablativos aut pro genitivi aut pro ablativis adiuncta praepositione *in* positos putaret. Atque huius quidem loci rationem in annotatione edit. p. 85 declaravi. Quod autem Beneckius contendit urbium nomina primae et secundae declinationis (quorum regulam quae terrarum nomina sequi possent primus docuit Madvigius observ. ad gramm. Lat. p. 22; Nepotis exempla posui ad Milt. 4, 4 edit. p. 6), cum locus ubi aliquid factum esset significaretur, non solum ab inferioris aetatis scriptoribus sed etiam ab optimis ablativo casu poni, verum non est. Nam eorum ad quos provocat Oudendorpius ad Caes. de b. Gall. vii. 32, 4 nullum idoneum locum protulit praeter hunc ipsum et b. civ. i. 42, 4; quorum priore sane in optimis codicibus scriptum est *Caesar Avarico complures dies commoratus*, nemo tamen dubitabit quin erratum sit ob primas litteras proximi vocabuli; altero in Parisino secundo et Leidensi primo duobusque aliis legitur *cum tribus cohortibus quas Pisauri et Arimino habebat*, quod cui tandem credibile videbitur, Caesarem, cum idem significaret, diversa ratione dicendi esse usum? Reliquis omnibus locis aut non id quod dicit Oudendorpius in bonis codicibus legitur (velut b. civ. iii. 5, 2 de quibus solis constat, Parisinus secundus et Leidensis primus, exhibent *hiemare Dyrrhachium Apollonia omnibusque oppidis maritimis constituerat*, in deterioribus est *Dyrrhachio Apollonia*) aut quae esset orationis forma non est intellectum. Atque sane mirum est Oudendorpium, cum b. civ. iii. 405, 4 in his verbis: *reperiebat T. Ampium conatum esse pecunias tollere Epheso ex fano Dianae* motum ex loco significari vidisset, non perspexisse eandem rationem esse horum locorum: b. civ. i. 34, 4 *quem paucis ante diebus Corfinio captum ipse dimiserat* et b. Afr. 34, 4 *Lilybaeo in naves onerarias imponit legiones*, quibus addere poterat hos: b. civ. ii. 28, 4 *legiones eas traduxerat Curio quas superioribus temporibus Corfinio receperat Caesar* et Cic. Brut. 49, 72 ubi recte Klotzius in Iahnii annall. vol. XLVI p. 72 codicum scripturam servandam dixit: *Accius autem a*

Q. Maximo quintum consule captum Tarento scripsit Livium, nisi forte dimitti, capi, recipi, imponi minus recte quam tolli aliquid alicunde dici existimavit. Arntzenius autem ad Aurel. Vict. ep. 37, Munckerus ad Hygin. fab. cccxlvii, ipse Beneckius ad Justin. ii. 13, 5 alia exempla antiquorum scriptorum non attulerunt, nisi quod Beneckius corruptum locum Caesaris b. civ. iii. 35, 4 commemoravit, qui quomodo corrigendus videretur in Caesare meo dixi. Iam Nepotis loco, a quo hunc ablativi usum non minus alienum esse quam a reliquis bonis auctoribus certum est, omnes fere deteriores codices secuti *Chersonesi* ediderunt. Mihi leniore mutatione *in post nam* adiici visum est. A qua correctione quod deterrere me poterat, usus ille Nepotis in particula *nam* vocalibus praeponenda de quo post Lieberkuehnum in annotatione ad hunc locum edit. p. 17 dixi, de eo si quis ita statuet ut omnibus locis quibus vocalis sequatur praeter eos quibus particulae *et* — *et* legantur *nam* pro *namque* a librariis illatum putet, quod paulo audacius statui videtur, cum tam exigua pars librorum Cornelii Nepotis supersit, sed tamen si quis ita statuet, non minus hoc loco quam ceteris *nam* illud genuino *namque* substitui potuit antequam praepositio *in* excideret; sin loci illi mutandi non videntur, ut ne mihi quidem sunt visi, satis iis correctio nostra defendetur.

Them. 1, 1 reieci scripturam optimorum codicum, Guelpherbytani et Sangallensis: *Huius vitia ineuntis adolescentiae magnis sunt emundata virtutibus*, non ea de causa quod verbum *emundare* ante Columellam reperiri non videtur, id quod vituperavit Rinckius, sed quia hoc loco ineptum est. Emundantur enim quae sordes susceperunt, non ipsae sordes.

Eiusd. c. § 2 in optimis codicibus scriptum est *Is* (dicitur de patre Themistoclis) *uxorem Acarnanam civem duxit, ex qua natus est Themistocles*. Atque id quidem recte ea de causa reiectum est quia, si Nepos matrem Themistoclis ex Acarnania oriundam tradidisset, *Acarnanidem* ei scribendum fuisset. Non potest autem fieri ut homo Attici familiaris Graecae linguae tam imperitus fuerit ut quo nomine homines ex Acarnania oriundi appellarentur nesciret; neque ullum similis peccati certum indicium apud eum reperitur. Nam quod ad Them. 9, 4 edit. p. 29 notavimus longe alius generis est. At multo gravius vitium plerique inferunt, cum deteriores quosdam codices secuti *Acharnanam* scribunt eoque matrem Themistoclis Acharnis, pago Attico, ortam significari contendunt. Nam qui Graece dicitur *Ἀχαρνέως* Latine uno modo dici potest, *Acharnensis*. Deinde ineptissime mater Themistoclis

Acharnensis civis diceretur, quasi suam quisque pagus civitatem habuisset, quae una erat Athenarum. In omni hac disputatione consulto nihil momenti ei rationi tribui quod nemo neque Acarnanidem neque Atheniensem matrem Themistoclis fuisse tradit, cum fieri possit ut auctor aliquis amissus ita tradiderit, quamquam id ob Plutarchi silentium parum verisimile videtur. Verum vidit Aldus, scribendum esse *Halicarnassiam*. Quod immerito tamquam nimis a codicum scriptura recedens vituperatum est. Scriptum enim fuit *Alicarnasiam*, ut Lys. 3, 5 in optimis codicibus est *Alicarnas*. Quid vero facilius fuit quam secundam eius nominis syllabam omitti, ex quinta litteram *n* fieri? Eandem autem formam quam hic codicum vestigia demonstrabant Lysandri loco modo commemorato restitui, quo *Halicarnasseus* edebatur, et quia causa non erat cur Nepos nomen illud variasse videretur et quia *ius* facilius quam *eus* in *us* transibat, quod cum noto compendio significatum idque compendium omissum esset, natum est *Alicarnas*. *Alicarnasi* apud Tacitum quoque appellantur ann. iv. 55.

Them. 2, 5 edebatur *huius enim classis mille et ducentarum navium longarum fuit, quam duo milia onerariarum sequebantur; terrestres autem exercitus dcc milium peditum, equitum cccc milium fuerunt*. Sed cum milia in Danielino neutro postremorum locorum, in Guelpherbytano et Sangallensi posteriore tantum per notam apposita sint, alterutrum item in codice archetypo factum esse statuendum est. Iam cum in Guelpherbytano et Sangallensi septingenarius et quadringenarius numerus notis significati sint, non credemus quod Rothius refert in Danielino fuisse *septingentorum* et *quadringentorum*: in collatione enim eius codicis proposita hac editionis Longolianae scriptura: *septingentorum milium ped. eq. quadr. milium f.* nihil notatur nisi *milium* utrobique in codice abesse. Quod autem in Guelpherbytano legitur *dcc^{un}*, id potius ob proximum genitivum a librario positum quam contra optimos codices utroque loco *milium* adiiciendum videri debet. Nam si scriptorem posteriore tantum loco milia apposuisse optimis codicibus credemus, non *dcc peditum, equitum cccc milium*, sed ne quid esset ambigui, *dcc peditum, equitum cccc milia* eum scripsisse statuemus.

Paus. 2, 4 in litteris Pausaniae ad Xerxem haec in codicibus scripta sunt: *Id si feceris, et Spartam et ceteram Graeciam sub tuam potestatem se adiuvante redacturum pollicetur*. Ex his ut sententia efficeretur, ad *redacturum* supplendum esset *te*. At non potest alius accusativus suppleri nisi quo subiectum verbi a quo

accusativus cum infinitivo aptus est significetur, et si posset, haec a Thucydidi verbis discederent quae expressisse Nepotem constat, 1. 428: *γνώμην ποιῶμαι, εἰ καὶ σοὶ δοκεῖ, θυγατέρα τε τὴν σὴν γῆμαι καὶ σοὶ Σπάρτην τε καὶ τὴν ἄλλην Ἑλλάδα ὑποχείριον ποιῆσαι. δυνατὸς δὲ δοκῶ εἶναι ταῦτα πράξαι μετὰ σοῦ βουλευόμενος.* Itaque ad sententiam recte iam Longolius scripserat *te adiuvante redacturum se*, codicum vestigia premens Bosius effecit *se adiuvante te*. Hanc emendationem neque Rothius neque Beneckius commemorarunt, complures recentiorum, cum recepissent et Thucydidis etiam verba ascripserunt, ita interpretati sunt ut *se* ablativum, *te* accusativum esse contenderent. Unum dubitari poterat utrum Bosii coniectura sequenda an *sub tuam potestatem te adiuvante redacturum* scribendum esset. Sed mihi quidem Bosiana ratio facilius visa est.

Item Paus. 3, 4 egregia emendatio ab omnibus editoribus ante nos spreta est. Leguntur ibi haec in optimis codicibus: *Id postquam Lacedaemonii rescierunt, legatos cum lava ad eum miserunt, in qua more illorum erat scriptum: nisi domum reverteretur, se capitis eum damnaturos.* Critici ad unum omnes pro corrupto illo *lava* Aldi commentum *scytala* receperunt. Quo quid potest magis temerarium et arte destitutum cogitari? Verum invenit Petrus Daniel, qui una littera adiecta *clava* effecit. Est enim hoc plane ex Nepotis consuetudine ut Graeca vocabula quae peculiarem in republica usum habebant Latinis quae communi eorum significationi responderent exprimeret, quamvis Romani iis peculiari illa significatione non uterentur. Eius rei indicio sunt *testula* et *testarum* vel *testularum suffragia* quibus Them. 8, 4. Ar. 4, 2. Cim. 3, 4 *ὄστρακισμὸν* vertit; quae ne quis inutiliter a nobis comparari putet, quia in Cimone ascriptum sit *quod illi ὄστρακισμὸν vocant*, inde quod Nepos hanc explicationem non adiecit cum primum hoc vocabulum verteret satis apparet etiam non addito Graeco vocabulo Latino huius generis eum uti potuisse. Et similiter scriptores Latini rei rusticae *σκυτάλην* ex arboribus serendi causa decisam *clavam* et *clavolam* appellant; et Apollinaris Sidonius baculum philosophorum *clavam* dixit. Exempla praebet Forcellinii lexicon s. vv. *clava* et *talea*.

Paus. 4, 5 in Danielino et Guelpherbyitano haec leguntur: *Quem cum supplicem dei videret in ara sedentem, quaerit causas quid sit tam repentini consilii* et extremis verbis vel ascriptum vel suprascriptum *repentino consilio*. Hoc in Sangallensi, illud in plerisque deterioribus et, ut videtur, in familia ex codice *E* orta

(legitur certe in Vossiano primo et tertio et editione Savaronis) praelatum est, itemque editores antiquiores *repentini consilii*, recentiores *repentino consilio* probaverunt. Per se ipsum utrumque verum esse potest. Quod si nesciremus utrum illud *repentino consilio* ex codice petatum an coniectura inventum esset, aut etiamsi ex codice petatum esse constaret, tamen, cum qualis ille codex fuisset non teneremus, ratio postularet ut id quod in perpetuitate verborum positum est sequeremur neque ei scripturam dubiae auctoritatis praeferremus. At mihi quidem certum est neque in codice archetypo quicquam suprascriptum fuisse quod ex codice petatum sit nisi ex eo unde archetypus est descriptus neque in reliquos codices quicquam ex codicibus nisi qui ea ratione de qua p. 2 diximus ex archetypo orti essent pervenisse. Haec me recte statuisse intellegitur cum consideraverimus quemadmodum ex iis quae suprascripta sunt ea sint comparata quae iis quibus suprascripta sunt praeferre cogimur. Facili enim coniecturae debentur praef. 4 *cenam* pro *scenam*; Ar. 1, 2 *quamquam* pro *cumcum*; Chabr. 1, 2 *in eo* pro *in ea* vel ut novo errore in Guelpherbytano legitur qui illam correctionem habet, *in eam*; 3, 2 *posset* pro *possit*; Eum. 4, 4 *funere* pro *munere*. Oscitantia librarii aliud exarantis atque in codice quem describebat legebatur, sed postea codice accuratius inspecto errorem corrigentis haec orta sunt: Paus. 5, 1 *ammoneri al. admoneri*; Dion. 2, 1 *magis* (aberrarat librarius ad verba c. 1, 5 *magis admirati*) suprascripto *maxime*; 10, 2 *facta* suprascripto *mutata* in uno Guelpherbytano (in reliquis est *mutata*); Dat. 4, 5 *capit* suprascripto *sumit* (*sumit* habet Danielinus); Pel. 1, 1 *lucide* correctum *dilucide* (*dilucide* Danielinus); Timol. 4, 3 *constituerunt* suprascriptis *constituissent tum*; Hann. 3, 1 *effecto* correctum *suffecto* in Guelpherbytano (peculiaris error est huius codicis); Att. 9, 2 *commendationem* suprascripto *vel commoditatem* in Danielino et 10, 5 *praesidium* suprascripto *vel praesidio* in eodem (*commoditatem* et *praesidio* ceteri omnes). Ag. 3, 2 non definitio utrum mala coniectura in archetypo supra *insigniusque* scriptum fuerit *insignibusque* an hoc per errorem scripto illud corrigendi causa suprascriptum sit, sed alterutrum in causa fuit ut in Danielino scriberetur *insignibusque*, in Guelpherbytano *insigniisque* suprascriptis *u* et *l'bus*, quorum priore is qui hunc codicem exaravit ipse suum errorem correxit. Denique dubitationem librariorum de scriptura codicis quem describebant haec significant: Iph. 2, 2 *adduxit al. adclusit* in Danielino; Ag. 4, 1 *iussu* suprascripto *missu* in Danielino, *missu* su-

prascripto *iussu* in Guelpherbytano, nisi potius hoc fuit in utroque codice. Atque ita ea quae recta sunt ex hoc genere comparata esse videmus; quid quod aliis locis ea quae aut in codice archetypo aut in eo quem *B* diximus suprascripta fuisse apparet deteriora esse altera scriptura demonstrari potest? Nam Alc. 8, 3 si Nepos ita scripsisset: *Alcibiades ad exercitum venit Atheniensium ibique praesente vulgo agere coepit: si vellent, se coacturum Lysandrum dimicare aut pacem petere; spondet Lacedaemonios eo nolle classe configere quod pedestribus copiis plus quam navibus valerent; sibi autem esse facile Seuthem, regem Threcum, deducere ut eos terra depelleret; quo facto necessario aut classe conflicturos aut bellum composituros* (ita enim haec distinguenda sunt, non, ut Wiggersius, qui *spondet* invenit, et Rothius fecerunt, *spondet* superioribus verbis adiungendum, quo facto et post ea verba, quae legentes omnes illis *agere coepit* coniungent, praeter expectationem *spondet* adiicitur et quae excipiunt plane abrupte inferuntur), ita igitur ut dixi si Nepos scripsisset, nemini in hac oratione quicquam mutandum videri poterat. At qui haec inveniret: *ut eum terra depelleret; quo facto necessario aut classe conflicturum aut bellum compositurum*, ei facile apparet quae causa esse potuerit cur his illa quae paulo ante posuimus substituere mallet. Iam haec, quae nequaquam a Nepotis consuetudine abhorre edit. p. 59 probavi, in Danielino, de quo falso relatum esse Rothius vidit, et Guelpherbytano perpetua oratione scripta, illa inter versus suprascripta sunt. Intellexit hoc loco quid verum esset Beneckius; quo magis miror alio loco eum non plus quam reliquos vidisse. Pel. enim 3, 2 in Danielino scriptum est *Allata est enim epistola — in qua omnia de profectioe eorum perscripta erant et supra eorum positum exulum* idque in omnibus reliquis codicibus alteri substitutum est. Quod quis non videt ab eo positum esse qui *eorum* aut explicare vellet aut corrigere, quia exules, cum tanto intervallo ante commemorati essent, pronomine significari non posse putaret? At Nepotem saepe simili negligentia pronomine usum esse edit. p. 38 satis a nobis demonstratum est. Non minus apertum est Eum. 5, 5 in his verbis: *Substringebat caput loro altius quam ut prioribus pedibus plane terram posset attingere* quod in Guelpherbytano et ut editio Ultraiectina ostendit in Danielino suprascriptum est, *plane*, ab eo esse positum qui *plane* significare *ganz* aut non intellexeret aut alios docendos putaret; itemque Ep. 4, 4 in his: *Hunc Diomedon cum rogaret ut tuto exiret suaque quae attulerat liceret efferre*; quae sunt in Danielino,

attulisset in codice *B* (suprascriptum est enim in Guelpherbytano, in reliquis abiecto *attulerat* receptum) ab eo esse ascriptum qui indicativum in oratione indirecta non toleraret. Nam ne his quidem locis, si *exulum*, *plene*, *attulisset* a Nepote essent scripta, cuiquam *eorum*, *plane*, *attulerat* ascribere in mentem venire poterat. Secundum haec ne Eum. quidem 5, 7, cum codices nostri ostenderent in archetypo sic scriptum fuisse: *Tenuit autem se uno loco quamdiu hiems fuit, quod castra subsidio habere non poterat et supra subsidio positum sub divo*, hoc recepimus sed unde *subsidio* ortum esse apparet, *sub dio*, id quod dudum in editione Ultraiectina legebatur. Neque Att. 18, 5, cum in Guelpherbytano legeretur (de Danielino non constat) *Attigit quoque poeticæ* et supra duas extremas litteras *l'am* positum esset, *poeticam* edidi sed *poeticen*, quod aut ipsum aut *poeticem* codices familiae *A* exhibent, qua re id quod in Guelpherbytano est in codice *B* fuisse confirmatur. Nihil autem agunt qui ubique huiusmodi vocabulorum Latinam formam inferunt: ad auctoritates haec exigenda sunt, quae Nepotem et *musicam* (praef. 1) et *musicen* (Ep. 1, 2) dixisse demonstrant. Similem rationem duo loci habent quibus neque corrigendi neque explicandi causa, sed ut idem alio modo dici potuisse notaretur aliquid ascriptum est: Iph. 3, 4 *Nam pater quantum in se fuit Threcem me genuit vel creavit, contra ea mater Atheniensem* et Eum. 2, 2 *ex quo omnes coniecerant eum regnum ei commisisse vel commendasse quoad liberi eius in suam tutelam pervenissent*. Quorum locorum priore cum plerique ante Heusingerum et Bremium *genuit* probavissent (Bremius autem quare multo probabilius esset *genuit* interpolatum esse quam *creavit* neque dixit neque poterat dicere), altero fere omnes *commendasse*, recte Beneckius *genuit* et *commisisse* scripsit; sed quam parum firmo iudicio inde apparet quod priore loco utrum interpolatum esset incertum esse dixit.

Extremo Pausania, ubi haec in codicibus scripta sunt: *Inde posterius Delphici responso erutus atque eodem loco sepultus ubi vitam posuerat, post sepultus adieci est*. Unus enim locus praeter hunc in codicibus ita scriptus est ut ei legi refragetur quam ad Thras. 3, 2 edit. p. 66 exposui, ut tertias personas temporum finitorum verbi *esse* a Nepote non omitti dicerem nisi in sententiis et descriptionibus, hoc est commotiore orationis genere, neque eius usum in hac re a Ciceroniano discedere iudicaret, nisi quod Eum. 1, 1 paulo durius *fuisset* omisit. Ibi Alcibiadis locum c. 1, 2 non commemoravi, quod ea quae inde a § 4 leguntur sine causa

mihi a superioribus separari visa sunt; qui tamen locus, cum descriptionem habeat, ne ita quidem ut antea fiebat distinctus legi a nobis expositae repugnabat. Neque Ag. 7, 4 ab hac lege discedi edit. p. 120 demonstrata structura verborum *sic enim instructa* ostendi. Unus autem ille locus quem supra significavi Att. 21, 1 legitur. Ibi in codicibus haec scripta sunt: *Tali modo cum VII et LXX annos complisset atque ad extremam senectutem non minus dignitate quam gratia fortunaque crevisset (multas enim hereditates nulla alia re quam bonitate consecutus tantaque prosperitate usus est valetudinis ut annis xxx medicina non indiguisset), nactus est morbum.* Haec duobus vitiis laborant. Primum enim *fortuna*, cum ea a *dignitate* et *gratia* separaretur, hic nihil aliud quam res familiaris significari potest. Neque, si illa causa non impediret quominus fortunam felicitatem dici interpretaremur, multis hereditatibus capiendis creverat felicitate Atticus qui hereditates longe omnium maximas a patre et avunculo relictas multo ante cepisset. Deinde post perfectum *usus est* non poterat poni *indiguisset* sed aut *indigeret* aut, quod iam Heusingerus monuit, *indigerit* ponendum erat. Itaque recte Lambinus et parentheses verbo *consecutus* terminavit et *usus esset* scripsit, idemque ante *consecutus* inseruit *est*, quod tamen nos ut Pausaniae loco frequentiore verborum collocationem secuti postponere ei voci maluimus. Saepe autem post litteras *us* coniunctum cum *illis est* excidisse notum est.

Lysandri initium sic in codice archetypo scriptum fuit: *Lysander Lacedaemonius magnam reliquit sui famam magis felicitate quam virtute partam. Atheniensis enim Peloponnesios sexto et vicesimo anno bellum gerentes confecisse apparet.* Editores omnes antiquam correctionem, quae etiam in codice collegii Romani inventa est, secuti in ante *Peloponnesios* inseruerunt. Sed cum apud Nepotem haec legantur: Alc. 4, 6 *non adversus patriam sed inimicos suos bellum gessit*; Chabr. 3, 4 *quod Chabrias adversum regem bellum gereret*; Timoth. 1, 2 *adversus Cotum bella gessit* et 4, 3 *hunc adversus tamen Timotheus postea populi iussu bellum gessit*; Dat. 1, 2 *in bello quod rex adversus Cadusios gessit*; Hann. 6, 1 *bellum gessit adversus P. Scipionem, nusquam bellum gerere in aliquem, non videtur dubitandum esse quin hoc ponere noluerit.* Quod autem in deterioribus quibusdam codicibus *adversus* ante *Peloponnesios* additum est, id omni probabilitate destituitur. Itaque sic statuendum est, *Peloponnesios* ab eo illatos esse qui Lysandrum *Atheniensis* confecisse dici non intellexeret et mancā

orationem supplendam putaret. Neque enim paucae interpolationes ut in exigua Nepotis reliquias irrepserunt; quas, cum hoc corruptelae genus facilius coniunctis et inter se comparatis quam singulis locis deprehendatur, hic colligere iuvat.

Igitur Alc. 4, 2 in his verbis: *disertus ut in primis dicendo valeret, quod tanta erat commendatio oris atque orationis ut nemo ei dicendo posset resistere* non id equidem reprehendo quod nonnullos offendit, quod intra tam breve spatium bis *dicendo* poneretur (huius enim negligentiae ex Nepote et alii exempla collegerunt, velut Bardilius ad hunc locum, et permulta ego ad Dat. 5, 6 edit. p. 94), sed sententia corrupta est. Nam cum Nepos commendationem oris atque orationis commemoret, apparet non quae dixisset Alcibiades eum admirabilia putasse, sed rationem qua illa proloqueretur. Itaque inde consequi non poterat ut dicendo ei nemo resistere hoc est eius orationem vincere posset; sed externa illa specie ita audientes capiebat et traherat Alcibiades ut orationi eius assentiri cogerentur. Removetur hoc vitium Bardilii coniectura, qui ad leniendam eiusdem verbi repetitionem dubitanter *dicenti* proposuit; neque tamen inde tam facile *dicendo* corrumpi quam ex superioribus verbis a librario male oculis aberrante repeti poterat.

Alia ratione corrupta sunt verba eiusdem Alc. 4, 2: *Inimici vero eius quiescendum in praesenti, quia noceri non posse intellebant, et illud tempus exspectandum decreverunt quo, si exisset, ut absentem aggredierentur.* Apparet inimicos non tamquam absentem, sed re vera absentem Alcibiadem aggredi voluisse. Deinde exeundum ei esse sciebant: itaque non ea condicione si exisset, sed eo tempore cum exisset aggredi eum constituebant. Male igitur Heusingerus commenticium illum Leidensem codicem hoc est coniecturam nescio cuius secutus retento vitioso *si* particulam *ut* delevit. Ad formam orationis et sententiam recte Klotzius scripsit *quom exisset, ut* cett.; mihi tamen probabile non videtur librarium *si* ex postrema littera particulae *quom* effecisse, quae praesertim lineola significari solet. Verum viderat Lambinus, *si* illud delendum esse, nisi quod male *sic* post *ut* adiecit. Nimirum aliquis cui insolitum erat finale enuntiatum a primario alio interposito separari, cum particula *ut* comparisonem indicari putaret, adiecto *si* laboranti orationi subveniendum existimavit.

Tertia in Alcibiade interpolatio c. 10, 2 apertis codicum indicibus deprehenditur, in quibus haec leguntur: *His Laco rebus commotus statuit accuratius sibi agendum cum Pharnabazo socie-*

tatem. Huic ergo renuntiat quae regi cum Lacedaemoniis essent, nisi Alcibiadem vivum aut mortuum sibi tradidisset. Recte hic Schottus societatem delevit; quod vocabulum ad explicanda verba quae regi cum Lacedaemoniis essent in margine ascriptum deinde a librario scriptoris orationi interpositum est. Non satisfecerunt haec Moschio; qui cum imperite illa quae regi cum Lacedaemoniis essent Latina esse negasset, quae dudum Scioppius exemplis a Bardilio in indice repetitis confirmaverat, oratione post Pharnabazo distincta deinceps sic scripsit: *Societatem huic ergo renuntiat quae regi cum Lacedaemoniis esset*. Secuti sunt alii, quamvis recte Bardilius ad Them. 4, 5 huic coniecturae constantem Nepotis usum refragari monuisset qui ergo particulam numquam post duo vocabula reiiceret. Plura hic temptata sunt; quae praetermitto, cum probabilia visum iri non putem.

Dion. 2, 3 in Guelpherbytano, deterioribus codicibus, editione Ultraiectina scriptum est *cum a Dionysio tyranno crudeliter violatus esset*. At Dionysius cum saepe antea commemoratus esset, non poterat Nepoti illo modo significandus videri, quasi aut, cum Dionysium appellasset, obscurum esset quem aut qualem diceret, aut, cum tyrannum, quemquam ignoraturum putaret significari Dionysium. Haec ante complura saecula intellecta sunt, et nisi in ipso archetypo certe in codice *B tyranno* punctis suppositis notatum est, quae inde in Guelpherbytanum transierunt. Quam correctionem secuti qui codicem collegii Romani et Sangallensem scripserunt itemque Savaro (deerat, ni fallor, in huius quoque codice) et recentiores editores idem vocabulum omiserunt. Neque enim in codice *B* non fuisse et postea esse adiectum cum Guelpherbytani auctoritas testimonio deteriorum codicum confirmata demonstrat, tum inde apparet quod, si scriptum fuisset *cum a Dionysio crudeliter violatus esset*, nulla causa excogitari potest quare post hominis nomen *tyranno* adiciere cuiquam in mentem venisset. Sed haec eadem ratio nobis quidem non *tyranno* sed *Dionysio* delendum esse ostendit: nam *tyranno* invento qui significaretur declarandum videri poterat.

Eodem Dionis capite refertur, cum in morbum incidisset Dionysius, Dionem a medicis petisse ut si forte in periculum vitae esset adductus sibi indicarent, ut de partiendo regno cum eo colloqui posset. Deinde § 5 in codicibus haec excipiunt: *Id medici non tacuerunt et ad Dionysium filium sermonem retulerunt. Quo ille commotus, ne agendi esset Dioni potestas, patri soporem medicos dare coëgit. Hoc aeger sumpto ut somno sopitus diem obiit*

supremum. Non eo utar ab uno Iustino id tradi quod extremis verbis significatur, Dionysium a suis interfectum esse: neque enim ideo minus credibile est Nepotem hanc famam ab aliquo scriptore traditam secutum esse. Sed ut tradere voluerit soporem illum a medicis Dionysio datum effecisse ut is moreretur, scribere tamen non potuit eum tamquam somno sopitum esse mortuum. Neque enim potione soporifera statim quisquam exanimari potest, sed antequam exanimetur, re vera in somnum incidat necesse est. Viderunt hoc antiqui critici qui et in codicibus et in editionibus quibusdam *ut* deleverunt. Sed id quidem cur adderetur causa non erat. Quid hic acciderit Danielinus admonet, in quo non *somno* sed *sumno* scriptum est. Etenim *ut* illud ortum est ex *ul'* hoc est *vel*, et eadem ratione cuius supra p. 48 sqq. complura exempla vidimus hic aliquis *somno* pro *sumpto* scribendum significaverat.

Cat. 3, 4 in his verbis: *Nam et agricola sollers et reip. peritus iurisconsultus et magnus imperator et probabilis orator et cupidissimus litterarum fuit iam supra p. 8 dixi recte Klotzium ineptum reipublicae sustulisse ortum illud ex initio sequentis vocabuli, cum alii male et particula ante iurisconsultus inserta hoc vocabulum epitheto quod aequabilitas orationis desiderat privassent, alii diremptis verbis reipublicae peritus et iurisconsultus commate interposito hoc incommodum auxissent. Sed multae interpolationes ex Attici vita tollendae fuerunt. In ipso initio, c. 4, 2, haec in codicibus scripta sunt: *Patre usus est diligente, indulgente et ut tum erant tempora diti in primisque studioso litterarum*. Hic cum Ernstius *indulgente* suspectum sibi et auctoritate Medicei codicis hoc est coniectura sua tollendum dixisset, Buchnerus hoc vocabulum cum superiore coniunctum ad affectum patris erga filium retulit, quemadmodum sane apud Cic. in Verr. 1. 44, 112 *diligentia indulgentiaque* ponitur. Sed ita necessario haec duo vocabula copula iungenda erant, ut ea artiore vinculo contineri et a sequentibus separari appareret, et haec ipsa quae sequuntur de moribus patris in universum non qualis is in filium fuerit dici demonstrant. Itaque recte *indulgente* in codice Patafino et ab aliis sublaturum est. Ascripsit aliquis ut *diligente* explicaret, quod non ad rem familiarem referendum sed a diligendo derivandum esse existimabat.*

Att. 2, 4 haec in codicibus leguntur: *Ipse adolescentulus propter affinitatem P. Sulpicii qui tr. pl. interfectus est non expers fuit illius periculi. Namque Anicia, Pomponii consobrina, nupserat*

M. Servio, fratri Sulpicii. P. Sulpicii fratrem duobus praenominibus appellatum grammatici praeter Lambinum toleraverunt Ursini opinionem secuti, qui in libro de familiis Romanis (in Graev. Thes. ant. Rom. vol. VII p. 1303) Sulpicios praeter praenomen omnibus commune, *Servium*, alterum habere consuesse affirmavit. Dixerunt de hac re praeter Nepotis interpretes Spanhemius de usu et praest. num. diss. X (vol. II p. 27 ed. Amstel. 1717), Drakenborchius ad Liv. IX. 36, 2, Eckhelius doct. num. vol. V p. 318. Atque id quidem quod Ursinus statuit nulla re comprobari potest. Nam Ciceronis locus de orat. I. 53, 227 itemque Livii XXV. 41, 41, qui praeter hunc Nepotis de quo agimus prolati sunt, ex codicibus sunt correcti. Neque inde quod idem homo a Livio III. 34 *P. Sulpicius*, a Dionysio ant. X. 52 *Servius Sulpicius* appellatur effici quod Schotto visum est, nomen ei fuisse *P. Servio Sulpicio*, sed Livium et Dionysium de praenomine dissentiri recte iam Drakenborchius monuit. Aliorum autem sententia qui *Servium* apud Romanos gentis nomen fuisse affirmarunt nummis incertae aetatis comprobatur in quibus legitur *L. Servius Rufus*. Hanc qui sequentur iis *M. Servium* qui apud Nepotem commemoratur a *Servio* nescio quo adoptatum esse statuendum est. At *Servium* gentis nomen inferiore demum tempore esse factum quo nominum ratio commutata est et quo *Appium* quoque pro gentis nomine usurpatum esse Spanhemius p. 30 docuit constanti antiquitatis consuetudine statuere cogimur. Nam quae ex antiquiore tempore prolata sunt testimonia, eorum Velleii locus II. 45, 2 (1) ab Heinsio secundum Appianum correctus est (vid. Drakenb. ad Liv. ep. LXXII), reliquis non id quod hominibus doctis visum est demonstratur. Neque enim Cicero nobilem iurisconsultum *Servium Sulpicium* et *Appium Claudium Pulchrum* aut *Livius Appium Claudium decemvirum solis praenominibus* appellarunt tamquam haec gentis nomina existimarent, aut ideo via Appia nominata est; sed haec facta sunt quia his praenominibus ab aliis hominibus praeter *Claudios* et *Sulpicios* raro usurpatis ii homines de quibus dicebatur satis significari videbantur. Eadem ratione haec explicanda sunt quae Spanhemius non commemoravit: Cic. ad Q. fr. II. 6, 6 *me perlubente Servius allisus est* (quamquam in Mediceo est *Sevius*) et Cael. ad Cic. fam. VIII. 4, 2 *Servium designatum tribunum plebi*, quibus locis recte idem homo intellegi videtur atque apud Cic. ad Q. fr. II. 13, 2 *homo teter et ferus, Pola Servius* et Cael. fam. VIII. 12, 2 *non destitit arcessere Polam Servium accusatorem*: satis enim

iis quibus Cicero et Caelius scribebant notus homo praenomine significabatur, atque ita et postposito praenomine *Pola Servius* populari consuetudine appellatus videtur. Num Romanus homo eodem modo ut Plut. Galb. 3 τὸν Σεργίουσιν οἶκον Latine *Serviorum domum* dicturus fuerit, cum Sulpicios significaret, dubium est; sed Graeci Romanos homines praenomine appellare consuerunt. Tacitus hist. II. 48 Galbam significans eo magis scribere poterat *post Iulios Claudios Servios se primum in familiam novam imperium intulisse*, quod mos increbruerat imperatores praenominibus appellandi. Itaque cum unus Nepotis locus ab antiqua consuetudine discrepet, Lambinum secutus, qui tamen pro more inepte locum interpolavit, *M. delevi*. Adiectum est hoc praenomen ab aliquo qui *Serviūm* Sulpicium significari non intellexeret et, cum illud nomen esse arbitraretur, praenomen desideraret.

Similis ratio est eorum quae eiusdem Att. 15, 3 scripta sunt: *Quo fiebat ut omnia Ciceronum, Catonis Marci, Q. Hortensii, Auli Torquati, multorum praeterea equitum Romanorum negotia procuraret*. Praenomen nomini postponi a Nepotis consuetudine abhorret (non erat autem in Catone ea causa qua a Cicerone et Caelio Polam Servium dictum esse statuimus), neque a librario nomina traiecta esse probabile est, quae Pauli Manutii opinio fuit. Neque Lambini correctionem probo, qui *Marci et Q. Ciceronum, Catonis, Hortensii* scripsit, aut Heusingeri, cui praenomina et *Marci et Quinti* ab interpolatore *Ciceronum* nomini adiecta videbantur. Mire enim Ciceronum praenomina ponerentur, Catonis et Hortensii omitterentur; et Hortensii praenomen utique servari debet, quod Nepos consuetudinem quandam, ut videtur, temporis sui secutus semper addit (5, 4. 16, 1). Alia correctio in codice Haeneliano et quibusdam editionibus adhibita est, ut pro *Marci* scriberetur *Marii*. Quo nomine nihil cogeret nos quidem ut C. Marium filium significari putarem de cuius familiaritate cum Attico c. 1 et 2 relatum est, quem eo tempore perisse ut Atticus negotia eius procurare non potuerit Manutius recte monuit; sed M. Marium intellegere liceret, familiarem Ciceronis ex huius epistolis notum. Verum is ut homo parum notus neque equestrem dignitatem egressus neque hoc loco neque sine praenomine commemorari poterat. Lenissima igitur correctio est ut praenomen *Marci* ab aliquo qui id aut excidisse putaret aut alios docere vellet *Catonis* nomini additum existimemus, nisi ille nota qua Hortensii praenomen significatum erat particulam *que* indi-

cari et ipsum praenomen, quod ignorabat, sibi restituendum esse opinatus est.

Att. 10 refertur, cum Atticus adventu triumvirorum cum Q. Gellio Cano apud P. Volumnium lateret, Antonium ei sua manu scripsisse ut statim ad se veniret: se eum et illius causa Canum de proscriptorum numero exemisse. Sequuntur haec § 5: *Sic Atticus in summo timore non solum sibi, sed etiam ei quem carissimum habebat praesidio fuit. Neque enim suae solum a quocumque auxilium petiit salutis, sed coniuncti, ut appareret nullam seiunctam sibi ab eo velle fortunam.* At verba *sed coniuncti* ut recte haberent, post *sed* inserendum esset *etiam*. Quamquam nonnullos ita statuere video ut post *non modo, non solum* in altero membro *sed* eadem sententia atque *sed etiam* poni affirment; sed exemplorum quae proferunt longe maxima pars ita comparata est ut altero membro eiusmodi res commemoretur quae eam quae priore membro significata est aut comprehendat aut hac remota pro ea substituatur, pars corrupta est, velut hic ipse locus de quo agimus. Etiam si enim scriptum esset *sed etiam coniuncti*, tamen ea verba prae gravitate eorum quae adiunguntur mirum in modum languerent. Animadversa haec sunt ab eo qui primus posuit quod in plerisque codicibus praeter Danielinum et Guelpherbytanum scriptum est, *coniunctim*; quo vocabulo ille significare voluit Atticum coniunctim et suae salutis et amici auxilium petisse. Sed horum verborum forma ita cum proximis superioribus coniuncta est ut inde tantum suppleri possint; iis autem adhibitis nihil possumus efficere nisi haec: *sed coniunctim suae salutis auxilium petiit*, quae inepta sunt. Itaque *coniuncti* illud ascriptum iudicavi ab eo qui orationem paulo breviorum explicare vellet. *Coniunctum* autem c. 7, 4 suppeditabat.

Att. 13, 6 de sumptu Attici domestico sic in codicibus refertur: *Nec praeteribo, quamquam nonnullis leve visum iri putem: cum in primis lautus esset eques Romanus et non parum liberaliter domum suam omnium ordinum homines invitaret, scimus non amplius quam terna milia aeris peraeque in singulos menses ex ephemeride eum expensum sumptui ferre solitum.* Merito plerisque nimis exigua haec summa visa est. Drumannus autem hist. Rcm. vol. v p. 69 not. 48 mire eiusmodi asses intellegit quorum decem denarium efficiebant, cum eo tempore de quo agitur denarium sedecim assium fuisse constet. Sed nos contra eos non disputabimus qui eam summam quae in codicibus legitur satis magnam iudicarunt, cum aes omnino hic poni non potuisse certum sit.

Recte enim Elberlingius observ. crit. in Caes. comm. de b. civ. p. 127 monuit Ciceronis aetate omnem pecuniae rationem non ad aes, sed ad argentum esse initam. Itaque ne ii quidem audiendi sunt qui numerum multiplicandum existimarunt. Verum vidit Paulus Manutius, delendum esse *aeris*. Id vocabulum ab eo interpolatum est qui serstertios intellegi ignoraret et cuius pecuniae apud Livium in antiquiorum temporum historia frequentem mentionem fieri vidisset eam hic quoque a scriptore commemoratam putaret.

Att. 17, 3 in codicibus haec scripta sunt: *Neque id fecit natura solum, quamquam omnes ei paremus, sed etiam doctrina. Nam et principum philosophorum ita percepta habuit praecepta ut his ad vitam agendam non ad ostentationem uteretur.* Hic et illud quod ante *principum* legitur pluribus nominibus vitiosum est. Primum enim ad Milt. 8, 3 edit. p. 17 demonstravimus Nepotem particulae *nam* numquam et subiecisse nisi cum alterum membrum eadem particula superiori respondente adiungeretur: id quod hic neque fit neque olim factum esse et alteram sententiae partem perisse statuere licet: nihil enim quod ea comprehensum fuerit excogitari potest. Sed huic rei non multum tribuemus qui idem *nam* quamvis paucis locis ante alias vocales inventum toleraverimus. Verum et illud pro *etiam* a Nepote positum videri deberet: id vero numquam ab eo factum esse certum est. Nam Milt. 3, 4 in omnibus codicibus praeter unum et fortasse alterum deteriorem haec leguntur: *si cum his copiis quas secum transportarat intrasset Darius, non solum Europam fore tutam, sed etiam eos qui Asiam incolerent Graeci genere liberos a Persarum futuros dominatione et periculo; et facile effici posse.* In quibus particula *et* quae ante *facile* posita est pervagata ratione duo enuntiata copulari vix est quod moneam. Neque vero perspicio quamobrem Klotzio verba *a Persarum dominatione et periculo* displicuerint et *liberos a Persarum futuros dominatione: id sine periculo et facile effici posse* non leni profecto mutatione scribendum visum sit. Thras. 1, 5, ubi edebatur *non solum princeps sed et solus initio bellum his indicxit*, de Danielino non constat, in Guelpherbyitano *sed etiam* servatum est. Eum. 7, 2, quo loco in codicibus *Quod et fecit* legitur, recte Heusingerum *fecit* vitiosum dixisse et *Quod ecfecit* emendasse infra demonstrabitur, cum quae ante haec verba leguntur correxerimus. Unus relinquitur locus praeter eum quem supra proposuimus quo vitiosum et in codicibus scriptum sit. Is est Att. 8, 3: *Excogitatum est a quibusdam ut privatum aerarium*

Caesaris interfectoribus ab equitibus Romanis constitueretur. Id facile effici posse arbitrati sunt, si et principes eius ordinis pecunias contulissent. At hic sententia ipsum *etiam* respuit. Hoc enim illorum hominum qui Bruto et Cassio privatum aerarium conficere studebant consilium fuisse apparet ut principes ordinis equestris primi omnium pecunias conferrent, quo eorum exemplo ceteri ut idem facerent adducerentur. Atque id nisi ipse ita fuisse intellegeremus docerent ea quae deinceps de Attico referuntur, qui cum appellatus a C. Flavio renuisset, tota res disturbata est. Non poterant igitur illi Bruti et Cassii familiares arbitrari se facile aerarium confecturos, si praeter alios, qui nulli dum erant, principes pecunias contulissent. Nam Bremium quidem, etsi in eo laudandum quod quid sententia requireret sensit, tamen quid aliud quam nugari dicemus cum verbis *et principes* significari *principes ante omnes* interpretatur? Itaque *et* delevi; quod ex antiqua scriptura *sei* ortum videtur, cui cum vulgaris substituta esset, prius illam fuisse litteris *ei* suprascriptis notatum est. Neque eo loco a quo digressi sumus sententia magis quam hoc *etiam* admittit. Neque enim illo enuntiato in quo verba *et principum philosophorum* posita sunt quicquam declarari potest quod praeter alias res Attici proprium fuerit (nam praeter doctrinam eum naturam secutum esse antea erat declaratum), aut praeter principes philosophos alii homines aut aliae res scriptoris menti observari poterant. His de causis codicem Sangallensem et affines secutus hoc quoque loco *et* eieci; quod quemadmodum illatum sit facilem habet explicatum. Etenim in Guelpherbytano vocabulum *principum* ita scriptum est ut inter *p* et *u* littera erasa sit. Non dubito igitur quin in codice archetypo ut in editione Veneta *principium* scriptum fuerit. Hoc cum homo imperitus a *principio* derivaret et *nam* ascriptum putaret ut *doctrinam* corrigendum esse significaretur, *doctrinam* et *principium* interposita particula coniunxit. Neque enim antiquos librarios in corrigendo sententiam curasse, ne verba quidem ultra proxima multa exempla sunt.

Revertimur ad Lysandrum. Namque ea verba c. 4, 4 de quibus supra diximus in codicibus haec excipiunt: *Id qua ratione consecutus sit latet. Non enim virtute sui exercitus sed immodestia factum est adversariorum, qui, quod dicte audientes imperatoribus suis non erant, dispalati in agris relictis navibus in hostium venerunt potestatem.* Animadversum est ab Ernstio inepte latere dici qua ratione Lysander Athenienses confecisset, cum id ipsum deinceps explicaretur. Oblocuti sunt alii argumentis parum ido-

neis usi. Primun. Heusingerus, cui praeiverat Lambinus, ita haec verba interpretatur ut quo suo consilio Lysander illam rem consecutus sit obscurum dici putet: nimirum non consilio eius, sed felicitate effectum esse. Sed neque verbis *qua ratione* idem significari potest atque his *quo suo consilio* (neque enim solo rationis vocabulo ratio ab eo qui aliquid consecutus est inita significatur, qua in re sententiae ab Heusingero propositae acumen positum est), neque scriptorem quo suo consilio Lysander bellum confecisset latere, sed nullo eius consilio hoc effectum esse apparere existimasse sequentia docent. Deinde Heinrichius ineptissime hanc esse sententiam affirmavit ut non intellegi diceretur qui factum esset ut Athenienses temere vagati opprimerentur. Quibus enim verbis huiusmodi quicquam hoc loco significatur, aut cui nisi stultissimo homini id obscurum videri poterat? Superest Fischii ratio a Bremio proposita, quam complures recentiores interpretes secuti sunt. Is haec verba arte cum superioribus coniuncta haec significare contendit, qua ratione Lysander Athenienses vicisset ab hominibus non perspectum esse; ideoque scriptorem id deinceps explicare. At qui aliquid latere ait is hoc non sibi minus quam aliis obscurum esse dicit. Sed Ernstius ut recte vitium animadvertit, ita quod proposuit, ut ante *latet* particula *non* interponeretur, aptum non est, neque magis aliorum inventum *patet*. Observatum est enim iam ab aliis quod perspicuum est, contrariis illis *apparet et latet* compositis argutias quasdam scriptorem esse consecutum. Itaque neque *latet* mutandum est et negativa particula qua carere non possumus ita adiicienda ut haec verba cum superioribus coniungantur. Vidit haec Struchtmeierus, sed parum probabiliter pronomini *id* substituendum putavit *nec*. Potius ante *id* inserendum erat *neque*, quae particula post *apparet* facile excidebat. Scripsi autem *neque*, non *nec*, quod facilius videbitur excidere potuisse, quia, ut ad praef. 4 edit. p. 4 monui, Nepos eandem legem secutus atque Caesar et Hirtius numquam ante vocalem *nec* posuit. Unum locum qui huic legi repugnabat, Eum. 40, 2, ubi in bonis codicibus legitur *se eum defensurum nec umquam deserturum*, ex deterioribus corrigere non magis dubitavi quam duos Hirtii, b. Alex. 40, 3 et 54, 3. De poetarum in hac re usu disputavit Carolus Lachmannus Propertii sui p. 365.

Lys. 4, 5 haec in codicibus scripta sunt: *Namque undique qui Atheniensium rebus studuissent eiectis decem delegerat in unaquaque civitate quibus summum imperium potestatemque omnium*

rerum committeret. Horum in numero nemo admittebatur nisi qui aut eius hospitio contineretur aut se illius fore proprium fide confirmarat. Atque illud in numero novissimi editores receperunt. Non pertractabo hic uberius illum locum de praepositione in cum ablativo verbis motum significantibus adiuncta. Id omnes concedent nisi qui codicum auctoritatem ratione non adhibita sequi consuerunt concessitque Beneckius, si recte eius verba intellexi, admitti aliquem in numero ita tantum dici posse ut eum in numero esse et ut in eo numero maneat ei permitti intellegatur. At id ab hoc loco plane alienum est. De deligendis enim decemviris dicitur, non quid delectis et constitutis factum sit. Et quis credat scriptorem adeo sibi ineptum finxisse Lysandrum ut postquam aliquis in hunc numerum pervenisset tum demum exquireret num hospitio suo contineretur fidemque ab eo exigeret? Itaque editionem Ultraiectinam secutus numerum restitui. Nam ablativum vocabulorum secundae declinationis saepissime errore librariorum pro accusativo positum esse Beneckium ignorare miror.

Et ipsa perversa et perverse defensa sunt haec verba Lys. 2, 2: *Victor ex Asia cum reverteretur Thasumque divertisset, quod ea civitas praecipua fide fuerat erga Athenienses, proinde ac si iidem firmissimi solerent esse amici qui constantes fuissent inimici, pervertere eam concupivit.* Hic eos quorum constantes inimici Thasii fuissent Athenienses a scriptore significari contendunt. Quod cum faciunt, duas res non vident. Primum enim cum aliquem fecisse aliquid dico proinde ac si res aliqua aliquo modo se haberet, hoc me significare apertum est falso eum hanc rem ita se habere stituisse. Num igitur hanc opinionem falsam esse putamus in qua secundum codicum scripturam Lysander fuisse dicitur, ut qui constantes inimici fuissent eosdem firmissimos amicos esse solere crederet? Mihi quidem haec adhuc omnium consensu probata sententia videbatur. Sed maius est alterum. Ipse enim scriptor verbis proximis superioribus dixit Lysandrum Thasum pervertere concupisse, quod ea civitas praecipua fide erga Athenienses fuisset. Itaque qui illam explicationem probabunt statuunt necesse est praecipua fide esse erga aliquem hoc esse constantem eius esse inimicum. Neque enim in eam latebram confugere licet qua Lambinus usus est ut superiore tempore Thasios Atheniensibus inimicos et postremo praecipua fide erga eos fuisse significari diceret, quarum rerum in verbis supra propositis ne minimum quidem vestigium est. Vitium dudum sublatum est: recte enim in editione Ultraiectina annotatum est *non post proinde ac si inse-*

rendum esse; quae particula saepe nulla perspicua de causa a librariis omissa est. Nam quae Longolius posuit: *proinde ac si iidem firmissimi solerent esse inimici qui constantes fuissent amici*, ea non minus inepta sunt quam quae in codicibus leguntur. Neque enim ita rectius particulae *proinde ac si* ponuntur, neque *firmi inimici* sic Latine dicuntur, neque Lysander, si Thasios Atheniensibus inimicos fore existimasset, eos pervertere concupisse cuiquam videri poterat.

Alc. 2, 4 ex parte codicum scriptura recte ab Heusingero emendata est in hunc modum: *socerum habuit Hipponicum, omnium Graeca lingua loquentium* (in codicibus est *Graecae linguae eloquentia*) *ditissimum: ut, si ipse fingere vellet, neque plura bona reminisci neque maiora posset consequi quam vel natura vel fortuna tribueret*. Item plerique viderunt *reminisci* corruptum esse: fingere enim scriptor ponit Alcibiadem, non superiorem memoriam repetere. Nam iis qui *reminisci* hic eadem sententia atque *excogitare* dici contendunt non est cur respondeamus; quam huius verbi significationem quod Beneckius duobus Appuleii locis probare conatus est, eorum altero, Apol. p. 604 Oud., in Florentino scriptum est *fingite aliquid, eminiscimini*, non *reminiscimini*, altero, eiusdem Apol. p. 544, ubi haec leguntur: *finge quidvis, reminiscere, excogita*, recte Pricaeus *eminiscere* scribendum dixit. Idem *eminisci* Heusingerus apud Nepotem ponendum coniecit, idque nonnulli probarunt. Sed recte alii id verbum ab antiquiore scriptore alienum iudicarunt, quippe quod, si ab Appuleio discesseris, in glossis tantum extremae aetatis inventum sit. Quamquam Heusingerus quidem a Varrone id commemoratum esse putavit de ling. Lat. vi. 44 p. 63 Bip.: *Sic reminisci, cum ea quae tenuit mens ac memoria, cogitando repetuntur. Hinc etiam comminisci dictum, a con et mente, cum finguntur in mente quae non sunt, et ab hoc illud quod dicitur reminisci, cum commentum pronuntiatur; quo loco Heusingerus quod dicitur eminisci scribendum esse suspicatus est, idque Muellerus recepit. At ipsa Varronis verba demonstrant verbum quod commemoravit a comminiscendo adiuncta praepositione pro derivatum fuisse. Hinc efficitur peminisci, hoc est procomminisci; quod lenissima mutatione restituitur: nam in scriptura Langobardica p et r vix discernas. Simile est quod Plautus posuit Trin. iv. 2, 70, recomminisci. Verbum autem non scriptoribus, sed in communi sermone usitatum se commemorare ipse Varro adiectis verbis illud quod dicitur demonstrat, id quod iam Heusingerus monuit; quo minus eminisci illud suum, etiamsi*

a Varrone positum recte coniecisset, Nepoti obtrudere debebat. Hunc vero *cōminisci* scripsisse a nullo intellectum esse miror, praesertim cum eo verbo plerique in interpretando utantur.

Alc. 2, 3 a Nepote scribi non potuerunt quae in codicibus leguntur: *Postquam robustior est factus, non minus multos amavit; in quorum amore, quoad licitum est, odiosa multa delicate iocoseque fecit, quae referremus, nisi maiora potiora haberemus.* Neque enim ulla ex parte scriptor Alcibiadi licitum esse existimare poterat ut odiosa, cuiuscumque generis erant, faceret. Quod si quis verba *quoad licitum est* interpretari volet *quamdiu potuit*, ut fecit Heusingerus, facultas quidem odiosa faciendi non apparet quo tempore Alcibiadi eripi potuerit. Praeterea oratio ita conformata est ut scriptor *odiosa* praecipue commemorare voluisse videatur; quod contra esse et potissimum delicate iocoseque factorum eum mentionem iniicere in animo habuisse causa docet qua ne haec referret se prohibitum esse scribit, nimirum quod maiora potiora habuerit. Itaque si illa delicate iocoseque facta odiosa fuisse significasset, in hunc modum scripsisset: *multa delicate iocoseque fecit, satis illa quidem odiosa.* Quae eadem ratio Barthii coniecturae refragatur qui *otiosa* scribendum esse suspicatus est. Itaque mihi Nepos scripsisse visus est *quoad licitum est otioso*, hoc est *quoad ei licuit qui in gravioribus rebus occupatus non esset.* Exposueram haec in Philologi vol. I p. 667. Nuper Theodorus Bergkiius in Mus. Rhen. vol. VII p. 458 scribendum coniecit *odiose multa, multa delicate iocoseque fecit* et verbis *quoad licitum est* significari putavit *quamdiu vixit.* Verum sic illa verba ita demum poni possunt, si minus diu quam optabile erat aliquid per vitae spatium fieri licuit. Deinde verba *quae referremus* cett. non minus ad illa *odiose multa* quam ad postrema *multa delicate iocoseque* referenda essent. Itaque hac coniectura quae reprehendimus nequaquam remota sunt.

Alc. 5, 2 ex Matthiae Gesneri emendatione scribendum esse *Id Alcibiades diutius celari non potuit* neque diutius vitiosam codicum scripturam *Alcibiadi* tolerandam quaest. Caes. p. 489 monui; ubi eum locum qui unus ad codicum vitium defendendum proferri poterat, Hirt. b. Alex. 7, 2, bonos codices secutus correxi. Apud Nepotem *Alcibiadi* inde ortum esse quod librarius ad initium sequentis vocabuli aberrasset Heusingerus intellexit, qui id eodem modo atque Gesnerus corrigendum dixit. Nam ut Wiggersium secuti Alcibiadis nomen ab interpolatore potius quam a Nepote positum statuamus non adducimur.

Alc. 6, 4 sic editur: *Postquam astu venit, contione advocata sic verba fecit ut nemo tam ferus fuerit quin eius casum lacrimarit inimicumque iis se ostenderit quorum opera patria pulsus fuerat.* Quae verba duplici vitio laborant. Primum enim qui fieri potest ut verbo *venit* accusativus *astu* nulla praepositione adiecta coniungatur? Et tamen hanc rem unus Breitenbachius, quod sciam, mentione dignam putavit. Atque is quidem Nepotem in vocabulo *astu* eandem rationem quam in urbium nominibus secutum esse existimavit. Sed ut hoc facere posset, illud vocabulum non appellativum, sed proprium nomen ei visum esse statuendum est. Quod plane incredibile est, adeo eum Graecae linguae imperitum fuisse; de qua re in simili causa supra p. 16 monui. Itaque praepositionem *in* a librario omissam esse iudicabimus, id quod ob postremam litteram particulae *postquam* factum esse apparet. Alterum vitium inest in verbis *casum lacrimarit*. Grammatici quidem nostri qui artes composuerunt satis securi inter alia affectum significantia, velut *dolere, lugere, horrere, gemere, plorare*, quibus accusativus adiungitur, hoc quoque verbum enumerant. Sed id recte fieri antiqui scriptoris nullo exemplo praeter hoc confirmari potest. Nam quod Terent. Eun. v. 4, 13 commemorant: *Num id lacrimat virgo?* neutri pronominis aliam rationem esse atque substantivi notum est. Ne Ovidii quidem *lacrimatae cortice myrrhae* Fast. i. 339, quod exemplum a Rudimanno ii p. 221 ed. Stallb. cum Corneliano coniungitur, huc pertinent, non magis quam *oculi vinum lacrimantes* apud Rutilium Lupum de fig. ii. 7 p. 110 ed. Ruhnk. Statium recte commemorant qui Theb. ix. 100 hominem *lacrimandum* dixit. A Nepote vero scriptum esse *casum lacrimarit* eo minus adducor ut credam quod totum hoc ei debetur qui in codice aliquo singulas voces primus diremit. Quam rem si paulo aliter instituimus, efficitur quod scriptori Ciceronis aequali accomodatam est, *casu inlacrumarit*.

Alc. 7, 4 edidi *primus Graecae civitatis in Threciam introiit*, itemque de reg. 1, 1 *Hi fere fuerunt Graecae gentis duces qui memoria digni videantur praeter reges*, cum utroque loco in optimis codicibus *Graeciae* scriptum esset, priore editionem Ultraiectinam, altero et hanc et deteriores codices secutus. Neque enim verum est quod a plerisque affirmari video, Nepotem nominibus propriis pro adiectivis usum esse; quae consuetudo ab aequalibus scriptoribus plane aliena poetarum et inferioris aetatis scriptorum est, quamquam ne hi quidem nominibus rerum inanimarum, terrarum, urbium, montium, ita usi sunt, sed hominum populorumque

et quibus persona subesse existimabatur fluminum, qua eadem ratione Mela II. 6, 2 dixit *nostrum et Oceanum mare* et III. 4, 4 *Oceano litore*, potest dixisse Catullus *carm. 115, 6 mare ad Oceanum*, non dixit Caesar b. Gall. III. 7, 2 *proximus mare Oceanum*, ne Tacitus quidem ann. I. 9 *mari Oceano*, ut ostendit quod hist. IV. 12 in Mediceo scriptum est, *mare Oceanus*. Nepotem vero mira perversitate quidam in iis quae scripsit Paus. 3, 2 *in agro Troade* extremo nomine pro adiectivo usum contendunt, scilicet feminino genere masculino coniuncto. Eodem igitur modo interpretabuntur apud Caes. b. Gall. I. 30, 2 *terram Galliam*, b. Afr. 3, 5 *terram Africam*, apud Liv. xxx. 32, 6. xxxviii. 47, 6. xxxix. 17, 2 *terram Italiam*, xxx. 58, 5 *terram Hispaniam*, et cum dicimus *das Land Italien*, nomen terrae pro adiectivo a nobis poni asseverabunt. In iis quae apud Nepotem Milt. 4, 2 leguntur *copias in campum Marathona deduxerunt*, cum Graecos campum illum τὸν Μαραθῶνα appellasse constet, *Marathona* item per appositionem a scriptore positum iudicavi; poteram motum ad oppidum Marathonem significari statuere. Nam in motu quoque ad locum significando Latinos urbium nominibus ita usos esse ut vicinitatem comprehenderent, quod eos fecisse cum referrent quid apud urbem accidisset ad Hann. 4, 4 edit. p. 154 ostendi, Ciceronis verba demonstrant pro Rosc. Am. 7, 20: *res ad Chrysogonum in castra L. Sullae Volaterras deferretur*. Neque vero *rex Perses* et *Molossus*, qui quibus locis apud Nepotem legerentur ad Them. 8, 2 edit. p. 27 annotavi, ita dicuntur ut *Perses* et *Molossus* adiectivorum locum teneant, sed ea Latinorum consuetudine qua semper *hominem Gallum* et similia, numquam *Gallicum* dicunt, de quibus qui nesciunt docebit ars Madvigii ad quam in editione relegavi; atque hinc ille poetarum et inferioris aetatis scriptorum usus manavit de quo supra dixi. Sed duobus illis locis de quibus disputare instituimus prudentiores homines ita succurrunt ut *Graeciae* genitivum esse dicant aptum ab altero *civitatis* et *gentis*, quemadmodum Con. 5, 2 Conon magnam auctoritatem sibi constituisse dicatur *non solum inter barbaros, sed etiam omnes Graeciae civitates*. Sed recte dicuntur *gentes* et *civitates Graeciae* cum singuli populi aut singularum urbium cives intelleguntur, non dicitur neque *gens* neque *civitas Graeciae* cum universa natio et omnium urbium cives significantur. Itaque hac quoque explicatione reiecta illi duo loci ita ut diximus emendandi sunt. Atque ipso Cononis loco paulo durius, quod faciendum esse edit. p. 70 monui, in priore membro praepositione *inter* po-

sita in altero *apud* intellegitur. Itaque mihi semper probabile visum est Heusingeri inventum, qui *civitatis* scripsit (invitus se quartum casum pluralis numeri intellegere malle dixit, voluit secundum singularis), modo ne ut ille *Graeciae* retineamus sed hic quoque *Graecae civitatis* corrigamus. Verum quia illa ratio non tam firma est ut quae in codicibus leguntur ab auctore non potuisse scribi evincat, mutare haec non sum ausus. Idem vero vitium quo Nepotem liberavimus satis antiquo tempore Sallustii locum occupavit. Apud Nonium enim p. 492 Merc. haec leguntur: *Galliae pro Gallicae. Sallustius hist. lib. III: cum interim lumine etiamtum incerto duae Galliae mulieres conventum vitantes ad menstrua solvenda montem ascendunt. Quo loco Sallustium Gallae mulieres scripsisse, etsi nemo intellexit, certissimum est.*

Alc. 10, 4 haec eduntur: *Missi clam vicinitati in qua tum Alcibiades erat dant negotium ut eum interficiant. Illi cum ferro agredi non auderent, noctu ligna contulerunt circa casam eam in qua quiescebat eamque succenderunt, ut incendio conficerent quem manu superari posse diffidebant. Hic verba circa casam eam Scioppio debentur: in codicibus est circa sammeam. Sed superest alterum vitium. Neque enim illos qui ligna circa casam contulerant casam, sed ligna succendisse apparet: cur enim, nisi hoc facere vellent, ligna contulissent? Itaque scribendum est *eaque succenderunt*. Quod si quis putat, cum legamus homines illos lignis circa casam collatis hanc succendisse, sponte nos intellegere ligna ab illis succensa esse eaque re casam ignem concepisse, intellegimus nos quidem ista quia aliter facta esse nisi ab ineptis hominibus non possunt; sed nemo tam perverse narrat ut, cum id commemoraverit quod ita tantum commemoratione dignum est ut quare factum sit cognoscatur, hoc, quare factum sit, commemorandum non putet.*

Ultimi capitis initium ita in Danielino et Guelpherbyitano scriptum est: *Hunc infamatum a plerisque tres gravissimi historici summis laudibus extulerunt: Thucydides, qui eiusdem aetatis fuit, Theopompus, qui post aliquanto natus, et Timaeus; qui quidem duo maledicentissimi nescio quo modo in illo uno laudando consuerunt. Extrema verba et corrupta esse et quam sententiam habuissent intellectum est. Nimirum cum perpauca contingat ut ab uno maledicenti scriptore laudentur, Alcibiadi contigisse admiratus erat auctor ut, quod vix fieri potuisse crederes, duo maledicentissimi in eo laudando consentirent. Itaque in codice collegii Romani et affinibus, ut videtur, *consenserunt* scriptum est, Rothius *consentire**

ante *consuerunt* inserendum iudicavit, in Sangallensi correctione *conscrierunt* ex *consuerunt* effectum est idque in reliquos codices transiit. Horum duo priora longius ab optimorum codicum scriptura discedunt, tertium ab hoc loco alienum est. *Consciscere* enim *consensu decernere* significat, ut ipsa verbi origo et exempla doceant, Livii 1. 32, 12 *dic, inquit ei quem primum sententiam rogabat: quid censes? Tum ille: puro pioque duello quaerendas censeo itaque consentio consciscoque* et 13 *senatus populi Romani Quiritium censuit consensit conscivit ut bellum cum Priscis Latinis fieret* et x. 48, 2 *Tusci fere omnes consciverant bellum*. Neque hoc ut solemne verbum nisi de publicis decretis ponitur, neque consciscere quismquam in aliqua re facienda potest. Vidit haec Wiggersius, idemque invenit quod et sententiae et arti satisfacit, *concinuerunt*.

Thras. 3, 3 deteriores codices et editores fere omnes secutus scripsi *Nam cum quidam ex iis qui simul cum eo in exilio fuerant caedem facere eorum vellent cum quibus in gratiam reditum erat publice, prohibuit et id quod pollicitus erat praestitit*. Recepto enim quod in optimis codicibus legitur, *fuerunt*, ea quae hoc enuntiato relativo referuntur non cum reliqua narratione coniungerentur sed ab hac separata ideo tantum quia reliqua narratio de iis ad-monebat interiicerentur. Id quod fieri poterat si hoc enuntiato remoto plena sententia esset, non poterat pronomine *iis* posito, quod nisi adiuncto enuntiato relativo intellegi nequit. Idem Ham. 4, 5 *servavi cum Catulus negaret bellum compositurum nisi ille cum suis qui Erycem tenuerunt armis relictis Sicilia decederent*: neque enim scriptor suam orationem Catuli verbis interposuit sed ut edit. p. 448 monui paulo durius directam Catuli orationem retinuit. Neque Dat. 9, 2 in his verbis: *De quibus quod inimici detulerunt, neque credendum neque neglegendum putavit* erat cur *detulerant* scriberetur. Nam cum causale enuntiatum et poni et omitti posset, id unum requirebatur ut quod illo tradebat scriptor eodem modo atque quod primario enuntiato narrabat factum esse referret.

Thras. 4, 2 haec in optimis codicibus scripta sunt: *Bene ergo Pittacus ille qui vii sapientum numero est habitus; cum Mitheni ei multa milia iugerum et agri munera darent, Nolite, oro vos, inquit, id mihi dare quod multi inuideant, plures etiam concupiscant*. Hic qui verba *qui vii sapientum numero est habitus* et Dat. 4, 4 *Datames primum militum numero fuit apud Artaxerxen eorum qui regiam tuebantur servarunt* (servarunt autem omnes, nisi quod Datamis loco in editione Ultraiectina scriptum est *primum e militum numero*) in ea opinione fuerint necesse est, in qua

permultos esse video, ut aliquem et in numero et numero alicuius rei esse eadem sententia dici existiment. Quod fieri nullo modo potest. Nam qui in aliquo numero esse dicitur eum unum esse ex his qui illum numerum efficiunt apparet; ablativo autem praepositione detracta cum id quod proprium est alicuius indicetur, qui numero alicuius rei esse dicitur eum huius rei numerum tenere, hoc est ei rei parem sive pro ea re esse, intellegamus necesse est. Recte igitur Dat. 9, 2 legitur *cum ei nuntiatum esset quosdam sibi insidiari qui in amicorum erant numero*, Ep. 7, 4 *erat enim ibi privatus numero militis*, Ag. 4, 8 *praedicabat mirari se non sacrilegorum numero haberi qui supplicibus eorum nocuissent*; Thrasybuli loco numero nullo modo, Datamis ita tantum poni poterat ut *militis* scriberetur, quod tamen sequentia non patiuntur. Itaque praepositionem *in*, quae facillimo errore excidit, priore loco post *qui*, altero post *primum* adieci. Non ignoro aliorum quoque scriptorum locos eodem vitio laborare; sed eos attingere neque volo, quia me omnes collectos habere non confido, neque necesse est, cum tam perspicua et certa sit ratio a nobis proposita ut ne levibus codicum vitiis impugnetur verendum non videatur. Maiore studio critici proxima verba eius loci quem supra ex Thrasybulo posuimus tractarunt. Nam cum Aldus edidisset *cum ei Mytilenaei multa milia iugerum agri muneri darent*, Bosius non solum aliquid muneri sed etiam munus et plures res munera dari exemplis collectis dici probasset, Stavere-nus *et in duobus codicibus non legi retulisset*, Heusingerus scripsit *cum ei Mytilenaei multa milia iugerum agri munera darent*. Sed ne haec quidem arti satisfacere Klotzius intellexit, qui ex optimorum codicorum scriptura haec efficienda putavit: *cum Mytilenaei multa milia iugerum ei agri munera darent*. Verum *agri munera*, ut Phoc. 4, 3 *munera magnae pecuniae*, tum demum recte data esse dicerentur si antea quae res muneri data esset non significaretur, multis milibus iugerum commemoratis perverse *agri illa munera appellatur*, tamquam alius rei esse potuissent. Quod si verba *multa milia iugerum* eo loco quo in codicibus leguntur retinere volumus, duae rationes relinquuntur. Aut enim, quod nequaquam probabile est, *et in codice collegii Romani*, in quo post *agri* ponitur, eo loco servatum esse quo in codice archetypo fuerit positum, in optimis libris nulla perspicua de causa traiectum esse statuendum est et ex ea scriptura haec efficienda sunt: *cum Mytilenaei multa milia iugerum agri ei munera darent*; aut *et deleto prima verba ita conformanda sunt*:

cum Mytilenaei ei multa cett. Hanc rationem iniit Beneckius (nam quod scriptum est apud eum *Mytilenae ei* typhetae deberi annotatio ostendit; quod tamen ipsum ne quis arripiat, a Nepotis scribendi genere alienum est); neque in illa Beneckii ratione id improbable est aliquem, cum qua ratione duo accusativi ponerentur non intellexeret, his copulam interponendam putasse. Id vero incredibile est Romanum hominem qui litteras didicisset ita omni aurium sensu fuisse destitutum ut verba *Mytilenaei ei* hoc modo coniuncta ferret. Correctio huic loco adhibenda est specie vehementior, re lenissima. Scripserat enim Nepos *cum Mytilenaei agri munera ei, multa milia iugerum, darent.* In his cum *Mytilenaei* male distracti essent, ut scriberetur *Mytilen ei*, alius librarius a primo *ei* ad alterum aberravit, sed cum verba *ei multa milia iugerum* scripsisset, animadverso errore his subiunxit quae praetermiserat *ei agri munera* eaque quo loco collocanda essent significavit; ea signa postea neglecta, ex *Mitilen*, ut species nominis esset, *Mitileni* facti, et ex altero *ei* ortum est.

Con. 4, 4 cum haec ex codice archetypo propagata essent quae leguntur in Danielino et Guelpherbyitano: *Nam et praetor pedestribus exercitibus praefuit et praefectus classis magnas mari gessit*, intellexeretur autem ita inepte in priore membro praetorem, in altero praefectum poni, quasi inter hos nescio quid discriminis intercederet, neque recte classes gestas dici, ne ductas quidem mari quas terra ductas existimare nemini in mentem venire posset, recte in eo codice unde reliqui orti sunt *res ad magnas* adiectum est. Verum prava verborum collocatione scriptum est *res magnas*, cum deberet *magnas res*. Ita enim constanter haec collocantur, velut Con. 5, 3 *simulans ad regem eum se mittere velle magna de re*, Dion. 4, 3 *aderat in magnis rebus*, Pel. 2, 3 *magnae saepe res non ita magnis copiis sunt gestae*, itemque Dat. 6, 6 *Pisidae nova re commoti*, Hann. 11, 6 *nova re perterriti*. Alia ratio est Them. 4, 3 *nulla res maior sine eo gerebatur*, Att. 4, 4 *si qua res maior acta est*, Cat. 2, 3 *multas res novas in edictum addidit*; quibus locis pronomine aut adiectivo cum substantivo coniuncto alterum adiectivum per appositionem adicitur.

Con. 5, 4 desertis optimis codicibus alios secutus scripsi *Inde nonnulli eum ad regem abductum ibique eum perisse scriptum reliquerunt* et Ag. 8, 2 *cum annorum LXXX subsidio Tacho in Aegyptum isset* et Timol. 5, 2 *se maximos labores summaque adisse pericula*, cum in codice archetypo *peruisse, iisset, adissee* scriptum fuisse constaret. Tam pauca enim huius formae exempla apud

antiquiores pedestris orationis scriptores in bonis codicibus reperiuntur ut hos semper contracta usos esse mihi persuadeam, quamquam apud Plautum et Terentium certa dissolutae exempla sunt.

Dion. 1, 2 haec in codicibus leguntur: *Dion autem praeter nobilem propinquitatem generosamque maiorum famam multa alia ab natura habuit bona, in his ingenium docile, come, aptum ad artes optimas, magnam corporis dignitatem, quae non minimum commendatur, magnas praeterea divitias a patre relictas, quas ipse tyranni muneribus auxerat.* Hic plerique Lambini emendationi commendat repugnant aut codicum scripturam retinentes aut alia multo longius ab ea discedentia nulla probabili ratione adducti temptantes, velut Struchtmeierus *quae non minimum commendavit*, Wopkensius *qua non minimum commendabatur*, Heusingerus *qua non minimum commendaretur*, quamquam hic quidem recte Lambinum secutus est. Atque haec commenta illis ipsis qui invenerunt, nedum aliis, Lambini ratione magis placere potuisse satis mirum est, mirabilius illud eos qui codicum scripturam servarunt non vidisse inepte id commendari dici quod natura tribueret neque suo labore et studio quisquam consequi posset.

Eiusdem c. § 4, ubi extremo verbo aperte corrupto haec in optimis codicibus leguntur: *Legationes vero omnes quae essent illustriores per Dionem administrabantur; quas quidem ille diligenter obeundo, fideliter administrando crudelissimum nomen tyranni sua humanitate tenebat*, eiusdem Lambini correctionem leniebat cum Heusingero praetuli, cum reliqui editores aliam in deterioribus codicibus inventam, tegebat, essent secuti. Per se recte utrumque dici et res ipsa docet et exempla ab Heusingero collecta. Sed idem Heusingerus vere monuit fidem excedere Dionis humanitate occultatam esse tyranni crudelitatem ita ut ad hominum aures non perveniret. Et longe facilius fiebat ut littera *t* in *l* transiret et *i* post *n* excideret quam ut *n* ex *g* nasceretur.

Item Dion. 5, 3 editorum inconstantia tollenda est minuendumque studium veris diu inventis deteriora excogitandi. Ibi haec in codicibus scripta sunt: *Sed Dion fretus non tam suis copiis quam odio tyranni maximo animo duabus onerariis navibus quinquaginta annorum imperium munitum quingentis longis navibus, decem equitum centumque peditum milibus profectus oppugnatum, quod omnibus gentibus admirabile est visum, adeo facile percussit ut post diem tertium quam Siciliam attigerit Syracusas introierit.* Vitiosum coniunctivum *attigerit* ita correxerat Aldus

ut *attigerat* scriberet. Rothius *attigit* conicere quam illud probare maluit. At constanter Nepos eam legem secutus est quam exposuit Madvigius artis suae § 338 b, nota 4, ut eam rem postquam aliquid intervallo aliquo interiecto accidisset plusquam perfecto referret. Exempla haec sunt: Ar. 4, 5 *postquam Xerxes in Graeciam descendit, sexto fere anno quam erat expulsus, populiscito in patriam restitutus est*; 3, 3 *decessit fere post annum quartum quam Themistocles Athenis erat expulsus*; Cim. 3, 3 *post annum quintum quam expulsus erat in patriam revocatus est*; Dion. 10, 3 *diem obiit circiter annos LV natus quartum post annum quam ex Peloponneso in Siciliam redierat*; Ham. 4, 2 *nono anno postquam in Hispaniam venerat in proelio pugnans adversus Vettones occisus est*; Hann. 7, 4 *huc ut rediit, praetor factus est, postquam rex fuerat, anno secundo et vicesimo*; 8, 1 *Hannibal anno tertio postquam domo profugerat, L. Cornelio Q. Minucio consulibus, cum v navibus Africam accessit.*

Neque Dion. 6, 3 vitiosam codicis archetypi scripturam: *Deinde orta dissensio est inter eum et Heraclidem; qui quidem principatum non concedebat, factionem comparavit novo Klotzii invento qui quia quam vetere qui quod corrigere malui, quamquam per se non minus recte illud quam hoc ponitur.* Nam si a reliquis signis discedimus, iisdem litteris *qd* et *quod* et *quidem* in codicibus significantur, ita ut haec facilius permutentur quam *qd* et *qa* hoc est *quia*.

Iph. 2, 5 ex optimis codicibus nuper haec reducta sunt: *Idem subsidio Lacedaemoniis profectus Epaminondae retardavit inceptus. Nam nisi eius adventus appropinquasset, non prius Thebani Sparta abscississent quam captam incendio delessent, itemque apud Senecam ep. xviii. 5 (108), 15 novissimi editores optimos codices secuti scripserunt Inde mihi quaedam permansere, Lucili: magno enim in omnia inceptu veneram; deinde ad civitatis vitam reductus ex bene coeptis pauca servavi.* At apud Nepotem quae Epaminondae incepta fuerint sequentia verba ostendunt, nimirum ut Spartam caperet incendioque deleret. Haec vero Iphicrates non ut tardius procederent, sed ut plane irrita essent effecit. Monuerat haec Heusingerus: et tamen Beneckius *retardavit inceptus*, quidquid Heusingerus obloqueretur, rei vel maxime accomodatam esse asseveravit. Quam levitatem sane admirarer, nisi tota eius viri praefatio ostenderet eum de plerisque rebus confidenter asseverare quam prudenter disputare maluisse. Ne apud Senecam quidem recte *inceptus* ponitur. Ut enim et res ipsa per se et se-

quentia ostendunt, ea in quae se venisse scribit incepta Senecae erant. Inepte igitur in omnia incepta magno se inceptu venisse diceret. Recte in deterioribus codicibus et apud Senecam *impetu* et apud Nepotem *impetus* restituta sunt. Qui autem impetus alicuius tardiores reddit is efficit id quod Iphicratem effecisse Nepoti declarandum erat, ne Epaminondas ea quae petisset consequeretur.

Iph. 3, 4 Bruecknerus in libro optimo quem de Philippo, Amyntae filio, rege Macedonum, scripsit p. 38 not. 30 rationem proposuit qua scriptura optimi codicis Guelpherbytani, a quo reliqui meliores non longe discedere videntur, defenderetur. Putavit enim ille in his verbis: *Menesthea filium reliquit ex Tersa natum, Coti regis filia* nomen matris Menesthei a scriptore esse positum. At cum ille Cotum antea non commemorasset, mentionem eius iniicere non potuit quin cuius populi rex esset declararet, idque hoc loco eo minus quod totius narratiunculae quae excipit acumen in eo positum est ut patria filiae Coti legentibus nota sit. Itaque retinendum est quod editur, *ex Thressa natum*, idque iam in Sangallensi, cum *Trasa* scriptum esset, correctione effectum est.

Chabr. 4 refertur fugatis ab Agesilao conducticiis catervis Chabriam reliquam phalangem obnixo genu scuto, proiecta hasta impetum hostium excipere iussisse eaque re effecisse ut Agesilaus suos iam incurrentes tuba revocaret. Deinde haec in codicibus leguntur: *Hoc usque eo tota Graecia fama celebratum est ut illo statu Chabrias sibi statuam fieri voluerit quae publice ei ab Atheniensibus in foro constituta est. Ex quo factum est ut postea athletae ceterique artifices his stantibus statuīs ponendis uterentur, cum victoriam essent adepti.* Extrema verba in editione mea adeo corrupta dixi ut neque emendari possent neque quam sententiam habuissent, quae quidem recta esset, invenire liceret. In antiquissimis editionibus *stantibus* pro *stantibus* positum, in Ultraiectina praeterea *in ante statuīs* adiectum, reliqua servata sunt. Haec etsi litterarum similitudine commendantur, tamen ea de causa recte repudiata sunt quod incredibile esset Nepotem athletic et ceteris artificibus quos commemoravit, quicumque illi fuerunt, eo statu quo milites Chabriae usos esse retulit statuās positas existimasse. Itaque Claudius Puteanus scribendum esse coniecit *his statuīs in statuīs ponendis uterentur quibus victoriam essent adepti*; quae inutili additamento auxit Petrus Faber *in ante quibus* adiecto. Sane non id dici debuit per illos status athletas

et alios artifices victoriam adeptos esse; sed recte aliquo statu fecisse aliquid is quoque dicitur qui id cum eo statu esset fecit. Illam Puteani coniecturam recentiores omnes secuti sunt, neque alia sententia videtur a Nepote poni potuisse nisi ut artifices a se commemoratos statuas sibi eodem statu ponendas curasse diceret quo vicissent. Quod etsi perversum erat, rem quae facillime hominibus se offerret et commendaret Chabriae demum exemplo increbuisse iudicare, neque ita factum esse constat, tamen Nepoti ita visum esse non est quod negemus. At verba quae Nepos posuerit Puteani coniectura restituta esse nequaquam credibile est. Primum enim quem librarium *cum* scripsisse credemus cum *quibus* invenisset? Deinde neque Puteanus neque alius quisquam vidit quod apertum est, inepte athleticis ceteros artifices adiungi, quasi vero ii omnes in certaminibus prodissent. Itaque haec verba gravius corrupta sunt, neque dubitari potest quin quaedam exciderint quibus qui artifices dicerentur fuerit definitum. Quod autem primo loco reprehendimus a Scheffero quoque animadversum est, cui *quomodo* scribendum videbatur. Sed id ei vocabulo quod in superiore enuntiato positum fuisse necesse est, in quo tota res vertitur, *statibus* vel *statu*, non respondet. Id vero recte videtur intellectum esse quae forma extremi enuntiatorum fuerit. At ex particula *quom* una relativi forma probabiliter efficitur, *quo*. Ponam igitur quae et a Nepote scribi et a librariis ita corrumpi potuisse putem ut ea quae in codicibus leguntur inde orerentur, sed ita ponam ut alia eadem et fortasse maiore probabilitate praedita excogitari posse facile concedam. Si enim scriptum fuerit *Ex quo factum est ut postea athletae ceterique artifices in certaminibus certantes eo statu in statutis ponendis uterentur quo victoriam essent adepti*, si ex his verba in certaminibus certantes una syllaba extrita sic in codice aliquo scripta fuisse statuimus: *in ctamibus ctates*, et ex duobus prioribus vocabulis *his stantibus* effici et a tertio ad *statuis* ita aberrari potuit ut quae adiecimus ommitterentur. Verum haec, ut dixi, lusisse me existimari volo.

Chabr. 2, 1, cum in optimis codicibus scriptum esset *Nam Nectebenin adiutum profectus regnum ei constituit*, effeci *Nectenebin*, quod proxime accedit ad *Nectenibin*, qua nominis forma Theopompum usum esse (eum autem per Iphicratem, Chabriam, Timotheum maxime secutus videtur Nepos) in editione annotavi. Superiores quidem longius a codicum vestigiis discedentes *Nectanebum* aut *Nectanabum* aut *Nectanabin* scripserant. Postremum

in editione Ultraiectina positum plerisque ideo praeferendum visum est quod Nepos Ag. 8, 6 secundum optimorum codicum vestigia, in quibus *Notonabide* legitur, *Nectanabide* scripsit; quae forma ibi in eadem editione Ultraiectina restituta a Plutarcho item in Agesilao posita est. Sed licuit sine dubio scriptori alio loco alia forma uti. Accidit autem hic ut litterae aut syllabae a librario male traicerentur. Quo eodem errore Cim. 1, 2 et 4 ex *Helpinice* facta est *Helpicene*, et Alc. 4, 5 et 6, 5 editionem Ultraiectinam et plerosque editores secutus ex *Eumolpidis* natos esse *Olympidas* iudicavi. Neque enim Nepotem nomen notissimi mysteriorum sacerdotii ignorasse credibile est, neque quicquam excogitari potest quod eum in hunc errorem induxerit ut inauditos illos *Olympidas* commemoraret.

Chabr. 3, 3 servavi haec quae in codicibus leguntur: *Itaque Chabrias quo ei licebat plurimum aberat*, neque perspicio quae causa superioribus fuerit ut aut *quod* aut *quom* scriberent, quorum posterius in margine codicis Marciani alterius positum Klotzius recepit. Sane Theopompus, cuius verba in editione ascripsi, refert Chabriam plurimum in Aegypto vixisse. Sed cum ibi commorari non posset, ut paulo ante a Nepote relatum est, num quid impedit quominus in alia loca quo licebat abisse videatur? Nam id quidem non puto *abesse in aliquem locum* minus recte cuiquam dici visum esse.

Dat. 1, 2 in codicibus haec leguntur: *Quo factum est, cum in eo bello cecidisset Camisares, paterna ei traderetur provincia*. Quibus in verbis cum particulam *ut* excidisse appareret, a Lambino post *factum est* inserta est. Sed Heusingerus, cum observasset Nepotis consuetudini accomodatum esse ut enuntiatum illud *cum in eo bello cecidisset Camisares alteri ut paterna ei traderetur provincia* non interiiceretur, sed praeponeretur (de qua re dixi editionis p. 13), eundem ordinem hic quoque restituendum esse suspicatus est, et Klotzius *ut* ante *paterna* collocavit. Verum ibi quamobrem particula exciderit non intellegitur. Itaque eam inter *ei* et *traderetur* inserui et duos Nepotis locos quibus eodem modo retracta est particula in editione ascripsi. Quorum altero qui est Eum. 8, 2: *Itaque periculum est ne faciant quod illi fecerunt, sua intemperantia nimiaque licentia ut omnia perdant neque minus eos cum quibus steterint quam adversus quos fecerint*, male novissimi editores ita distinguunt ut verba *sua intemperantia nimiaque licentia* superioribus *quod illi fecerunt* adiungantur. Perverse enim Nepos de Romanorum veteranis, de quibus hanc orationem insti-

tuit, id tantum referret quid ne facerent periculum esset, de Macedonibus, qui hic similitudinis causa commemorantur, non solum quid fecissent, sed etiam quibus rebus fecissent. Quo accedit ut, si de Macedonibus tantum retulisset eos sua intemperantia nimiaque licentia omnia perdidisse, illa vitia in Romanis non fuisse, sed nescio quibus rebus eos idem facturos quod Macedones existimasse videretur.

Dat. 6 inde a § 3 refertur Metrobarzanem, Datamis socerum, cum equitibus ad hostes transfugisse; Datamem re comperta in vulgus edidisse suo iussu Metrobarzanem profectum esse pro perfuga quo facilius receptus hostes interficeret: quare omnes confestim sequi debere, ut adversarii et intra vallum et foris caederentur. Inde quae excipiunt ita in codicibus scripta sunt: *Hac re probata exercitum educit, Metrobarzanem persequitur tantum, qui dum ad hostes pervenerat, Datames signa inferri iubet. Pisidae nova re commoti in opinionem adducuntur perfugas mala fide compositoque fecisse, ut recepti maiori essent calamitati. Primum eos adorantur. Illi cum quid ageretur aut quare fieret ignorarent, coacti sunt cum eis pugnare ad quos transierant ab hisque stare quos reliquerant; quibus cum neutri parcerent, celeriter sunt concisi.* Nihil dicam de Lambini correctione a plerisque superiorum recepta, qui oratione post *persequitur* distincta scripsit *qui tantum quod ad hostes pervenerat*; quae cum longissime a codicum vestigiis discedant, tamen ne Latina quidem esse ab Heusingero et Bremio observatum est. Ex iis verbis quae supra posui apparet hoc fuisse Datamis consilium ut Metrobarzanem ad hostes pervenire pateretur et id tantum ageret ut fugientem quam proxime sequeretur; simulatque autem ille hostibus se coniungeret, impetum faceret et hac re Pisidas in eam opinionem adduceret ut Metrobarzanem ipsum quoque ad se oppugnandos venisse putarent. Itaque recta sunt verba *Metrobarzanem persequitur tantum*, quorum haec est sententia ut Datames Metrobarzanem nihil aliud nisi persecutus esse et consulto tanto spatio antecedere passus esse dicatur ne eum aggrediretur. Verum sequentia ferri non possunt, neque Beneckius quid ageretur perspexit, qui se illa defendisse existimarit ascripto Livii loco xxxii. 24, 5: *dum in unam partem oculos animosque hostium certamen averterat, pluribus locis scalis capitur murus.* Livii enim loco, cum plusquamperfecto *avertat* indicetur quod per aliquod temporis spatium factum erat, recte particula *dum* ponitur; apud Nepotem vero *pervenerat* non spatium, sed momentum temporis significat. Leve

vitium est hoc loco, quod recte sustulit is cuius coniectura tamquam ex commenticio illo Leidensi codice prolata est. Scripserat enim Nepos *Metrobarzanem persequitur tantum; qui cum ad hostes pervenerat, Datames signa inferri iubet.*

Miror novissimos editores praeter Rothium etiam cognita codicum auctoritate in nominibus propriis, cum deteriorum codicum scriptura a superioribus esset retenta, hos quam optimos sequi maluisse, quasi vero credibile esset cetera omnia in optimis codicibus, nomina in deterioribus maiore fide servata esse. Quod contra esse apparet neque in hoc genere magis quam in reliquis ullam deteriorum codicum scripturam probari posse nisi quam nos quoque certis argumentis adducti coniectura restituendam putaremus. Sed ante omnia mirum accidit quod Dat. 7, 4, cum in Danielino filius Datamis *Sysinas* appellaretur, in Guelpherbytano dubium esset utrum ita an *Sysmas* legeretur, ab omnibus quod in reliquis codicibus scriptum est, *Scismas*, servatum est. At *Scismas* num usquam commemoretur dubito; *Sysinam* vero iam Bosius notaverat idem nomen esse atque *Sisinem* vel *Sisinnem*, cuius nominis homo Perses apud Arrianum anab. i. 25, 5. 7, Curtium iii. 7, 44 sqq. (in codd. est *Sisenes*), Iosephum ant. Iud. xi. 4, 4 sqq., Scytha apud Lucianum Tox. 57 sqq. commemoraretur. Apud Arrianum Ellendtius ascripsit eiusdem vii. 6, 7 et Bekkeri anecd. i. 173, 29; ego addo Strab. xii p. 537: καθ' ἡμᾶς δὲ [τὰ Νῶρα] Σισίνον ὑπήρξε χορηματοφυλάκιον τοῦ ἐπιθεμένου τῇ Καππαδόκων ἀρχῆ. Nos vero in barbaris nominibus, si quid constantia quadam in optimis codicibus scriptum erat, his ne ea quidem praetulimus quae aliorum scriptorum testimoniis confirmarentur, cum haec nomina non ab omnibus eodem modo pronuntiata et scripta esse vel maxime probabile videatur. Itaque *Autophrodatem* quam *Autophradatem*, Alc. 10, 3 *Susametrem* et Dat. 6, 3. 5 *Metrobarzanem* quam *Susamithrem* et *Mithrobarzanem* scribere maluimus. De Graecis nominibus Alc. 7, 4 *Bizanthem* servavimus, cuius scripturae etiam apud Xen. anab. vii. 5, 8 in codicibus vestigia sunt; debuimus item *Piraeum* constanter in optimis codicibus aut scriptum aut significatum, qua forma Romanos esse usos Plauti et Terentii exemplis Iacobus Fridericus Heusingerus ad Cic. de off. iii. 41, 46 probavit, quamquam hunc in eo errasse quod Graecos quoque ita dixisse statuit recte monuit Zumptius. Ex aliis, in quibus ut in editione ad puerorum maxime usum accommodata vulgarem rationem servavimus, partim rectissima ducimus, ut *Helpinicen* Cim. 1, 2. 4, *Calchidem*

Timoth. 3, 5 et in Latino scriptore *Gongulum* Paus. 2, 2 et *Zacanthios* Dion. 9, 3 (*astu* retinui quia semper ita scribitur); partim non improbabilia, ut *Hagesilaum*, *Alicarnasium*, *Ephaestionem*, et quae ad Latinam consuetudinem conformata videntur, *Gnidum* Con. 4, 5, *Peloponnesum*, *Peloponnessum* et *Chersonessum*. Timol. vero 5, 2 et 3, cum in optimis codicibus scripta essent *Lamistius*, *Lamystio*, *Lamystii*, non dubitavimus quin iis obsequeremur qui, ut apud Plut. Timol. 37 legitur, hic quoque *Laphystium* restituendum iudicarunt. Et Milt. 7, 5, cum in codicibus legeretur *sagoras*, Longolium secutus *Stesagoram* quam ut alii fecerant *Tisagoram* ponere malui, quia facilius priores litterae illius quam huius nominis a librario omitti potuisse videbantur, etsi utrum Nepos posuisset in annotatione dubium esse dixi.

Dat. 9, 4 haec in codicibus scripta sunt: *At rex, quod implacabile odium in Datamen susceperat, postquam bello eum opprimi non posse animadvertit, insidiis interficere studuit; quas ille plerasque vitavit.* Sed nihil ad rem pertinebat ut Datamen insidias declinasse referretur; id referendum erat qui eventus illarum insidiarum fuisset: quamvis enim declines insidias, tamen fieri potest ut iis capiare. Itaque Nepos scripsit *vitavit*; cuius verbi prima littera, quia eadem erat postrema superioris vocabuli, a librario praetermissa est. Discrimen quod inter *vitare* et *evitare* intercederet duobus exemplis demonstratum est in editione Germanica lexici Forcelliniani: Cic. de fin. v. 7, 20 *Ne vitationem quidem doloris ipsam per se quisquam in rebus expetendis putavit, nisi etiam evitare posset* et Sen. ep. xv. 2 (93) extr. *Quid autem ad rem pertinet quamdiu vites quod evitare non possis?* Adde tertium, eiusdem Sen. ep. iv. 4 (30), 6 *Mors enim admota etiam imperitis animum dedit non vitandi inevitabilia.* Apud Nepotem vero quo magis appareat *vitavit* ferri non posse, illis ipsis verbis quae supra posuimus subiicitur narratio qua Datamen insidias quasdam ad se delatas non vitasse, sed obviam isse insidiatoribus easque vicisse refertur. *Evitare* autem ut effugere non solum is dicitur qui vitando aliquid effugit, sed quicumque non opprimitur, quidquid ipse fecit.

Ep. 2, 2 haec eduntur: *At philosophiae praeceptorem habuit Lysim Tarentinum, Pythagoreum; cui quidem sic fuit deditus ut adolescens tristem ac severum senem omnibus aequalibus suis in familiaritate anteposuerit neque prius eum a se dimiserit quam in doctrinis tanto antecessit condiscipulos ut facile intellegi posset pari modo superaturum omnes in ceteris artibus.* Eademque in optimis

codicibus leguntur, nisi quod duo horum aperta vitia, *Lysiam* et *possit*, recte sublata sunt. At nulla ratione pro argumento quo demonstraretur quantopere Epaminondas Lysidi fuisset deditus id poni poterat quod eum non prius a se dimisisset quam condiscipulos in doctrinis antecessisset; qua re suo commodo consulebat Epaminondas, amorem praeceptoris nullum significabat. Itaque *dimisit* scribendum est.

Ep. 3, 4 haec et eduntur et in codicibus scripta sunt: *Paupertatem adeo facile perpessus est ut de re publica nihil praeter gloriam ceperit, amicorum in se tuendo caruerit facultatibus; fide ad alios sublevandos saepe sic usus est ut iudicari possit omnia ei cum amicis fuisse communia. Hic fidem, cum facultatibus opponatur, et eorundem quorum facultates commemoratae erant, hoc est amicorum, intellegendam esse neque, quacumque sententia positam interpretamur, facultates illas comprehendere apparet. At neque Epaminondas, si facultatibus amicorum non esset usus, demonstrare poterat omnia sibi cum amicis esse communia, et quae deinceps narrantur, ut quam vere ea quae supra posuimus relata sint comprobetur, ipsis amicorum facultatibus usum esse Epaminondam ostendunt. Nam, inquit Nepos, cum aut civium suorum aliquis ab hostibus esset captus aut virgo amici nubilus quae propter paupertatem collocari non posset, amicorum consilium habebat et quantum quisque daret pro facultatibus imperabat. Itaque quin fide corruptum sit dubitari non potest. Nepos autem eidem scripserat; quae antiquior scribendi ratio in omnibus codicibus servata est Phoc. 2, 1 eidem cum prope ad annum octogesimum prospera pervenisset fortuna, extremis temporibus magnum in odium pervenit suorum civium et § 4 cum Nicanorem insidiari Piraeo Atheniensium a Dercylo moneretur eidemque postularet ut provideret ne cett., puto, quia utroque loco dativus videbatur, ut priore etiam recentioribus quibusdam grammaticis, satis illis quidem inepte, visus est. Sed Epaminondae loco cum ex illo eidem maiusculis litteris scripto facili errore natum esset *fidem*, ob verbum *usus est* aliquis *fide* correxit.*

Ep. 5, 2 in optimis codicibus scriptum est *Meneclidem*, § 5 primum *Meneclides*, tum vocativo casu *Meneclida*, deinde *Meneclidas*, nisi quod tertia syllaba leviter corrupta est. Sane verisimile non est scriptorem eodem loco eundem hominem duplici nominis forma appellasse. Itaque antiquiores editores ultimo loco codicum scriptura mutata *Meneclides* scripserant; Heusingerus et recentiores ultimo *Meneclidas* servare et duobus prioribus *Mene-*

clidam et *Meneclidas* scribere maluerunt. At primum quidem probabilius uno quam duobus locis codicum scriptura mutatur; deinde, si duobus prioribus locis scriptum fuisset *Meneclidam* et *Meneclidas*, haec mutare nemini in mentem venire poterat, ultimo autem cum *Meneclides* legeretur, vel maxime probabile est aliquem qui ab hoc nominativo vocativum *Meneclida* declinari non posse crederet *Meneclidas* scribendum censuisse. Qua in opinione si quis hodie quoque erit, ut fuit Heusingerus, Ciceronem audiat Tusc. III. 12, 26 Thyesten alloquentem *Tu te, Thyesta, damnabis?* et Aecten *O stultissime Aecta!* Bremius vero Nepotem in Thebanorum nominibus constanter eodem exitu quo est *Meneclidas* usum affirmat. At quot ea sunt? *Epaminondas* et *Pelopidas*; quibus in nominibus exitus ille omnium consuetudine erat receptus. Licuit vero ei, puto, in tertio alio exitu uti, ut aliis scriptoribus in aliis licuit, neque in Thebanis minus quam in Lacedaemoniis; ex quibus cum Them. 3, 1 *Leonidam* et Pel. 1, 2 *Phoebidam* appellasset, tamen et Them. 4, 2 *Eurybiadem* et Ag. 1, 2 *Leotychidem* dixit.

Ep. 8, 3, ubi haec leguntur: *Epaminondas a Thebanis morte multatus est, quod eos coegit apud Leuctra superare Lacedaemonios, quos ante se imperatorem nemo Boeotorum ausus fuit aspicere in acie*, miror quid Madvigio acciderit ut opusc. alt. p. 223, cum perfecta illius formae cuius est *ausus fuit* recte tum poni exposuisset cum aliquid per aliquod temporis spatium statu aliquo fuisse significaretur, hic *ausus fuit* aptum esse negaret et aut *ausus fuerat* aut *ausus est* scribendum esse contenderet. Id ipsum enim scriptor refert Epaminondam in periculo iudicum significari voluisse eo temporis spatio quod ante se imperatorem fuisset eo statu rem fuisse ut Lacedaemonios nemo Boeotorum in acie aspicere auderet.

Ep. 10, 3 consentiente testimonio codicis Danielini, collegii Romani, Sangallensis haec in archetypo scripta fuisse evincitur: *Idem, postquam apud Cadmiam cum Lacedaemoniis pugnare coepit, in primis stetit, nisi quod Achademiam scriptum fuit.* Qui Guelpherbytanum scripsit, cum sententia animo comprehensa verba in exemplari posita, ut fit in exscribendo, non satis diligenter aspexisset, cum *Lacedaemoniis pugnatum est* posuit, deinde animadverso errore et *coepit* et reliqua ut in exemplari invenit perscripsit, litteris vero *tum est* punctis suppositis non *re* sed *ri* suprascripsit neglecta prima exemplaris scriptura id secutus quod correctione effectum sententiam requirere animadvertisset. Haec deo paulo pluribus exposui ne quis in illa Guelpherbytani scrip-

tura latere aliquid putaret quod ex codice archetypo servatum esset; cui opinioni consentiens eorum codicum testimonium quos supra nominavi refragatur. Sed correctionem quam scriptor Guelpherbytani suscepit iam in codice *B* fuisse indicio est quod eadem in Sangallensi supra versum est notata. Hanc cum antiquiores editores secuti essent, quaest. Caes. p. 164 negavi Latinos certo subiecto non significato activum *coepit* infinitivo passivo coniunxisse, cumque id quod in editione Ultraiectina legitur, *pugnari coeptum est*, quod recentiores plerique receperunt, omni probabilitatis specie destitueretur, a Nepote *pugna coepit* scriptum esse dixi. Idem Klotzius coniecit in Iahnii annall. vol. XLVI p. 82 et exempla ascripsit; quae qui desiderabunt ab ipso petant. Nunc id addo quod iam a Bremio recte observatum est, ne eam quidem licentiam qua alios eiusdem aetatis scriptores non abstinuisse quaest. Caes. p. 49 demonstravi, ut subiecto significato activum verbum *coepi* infinitivo passivo coniungerent, Nepotem admisisse; sed eadem forma quae Caesari et Ciceroni legitima est Timoth. 3, 4 scripsit *bello Athenienses undique premi sunt coepti*, Ep. 7, 4 *considerari coepta est Epaminondae diligentia*, Hann. 11, 5 *repente in eas vasa fictilia de quibus supra mentionem fecimus coniiici coepta sunt*.

Pel. 2, 4 haec in codicibus scripta sunt: *Hi omnes fere Athenas se contulerant, non quo sequerentur otium sed ut quemque ex proximo locum fors obtulisset eo patriam recuperare niterentur*. Hic Madvigius ad Cic. de fin. p. 848, cum et *locum* occasionem interpretari licere recte negasset nec *quemque* eodem significato quo *quemcumque* a Latinis dici demonstrasset, *quem ex proximo locum fors obtulisset* scribendum esse coniecit. Quam emendationem Beneckius cum recepisset, postea hoc eum fecisse poenituit et praefationis p. 37 Lambini *quemcumque*, quamquam alius locus praeter ipsas Athenas intellegi non posset, tamen multo rectius sibi videri dixit cum propter huius loci rationem tum propterea quod *quemque* verisimilius esset ortum esse ex *quemcumque* quam particulam *que* adiectam esse a librariis. Itemque Klotzius in censura editionis Beneckianae, quae legitur in Iahnii annall. vol. XLVI, p. 83 Madvigii coniectura improbata ipse *quemquem* corrigere non dubitavit. Iam quod Beneckius ex *quemque* probabilius *quemcumque* quam *quem*, Klotzius unum omnium maxime probabiliter *quemquem* effici contendit, de eo mihi ita videtur ut a litterarum similitudine nihil horum ceteris probabilius putem, qui et notam litterae *m* et ex duabus syllabis eadem littera finitis alteram omitti

et easdem litteras bis poni a librariis sciam et hic, cum *ut quem* scriptum esset, ab aliquo qui particula *ut* consilium significari non perspiceret facile frequentem formulam *ut quemque* poni potuisse intellegam. Klotzium vero admiror latuisse disputationem Madvigii ad Cic. de fin. p. 423 (neque enim notam fuisse et refutatione indignam esse visam adducor ut credam) qua ille scriptores Ciceronianae aetatis pronomine *quisquis* praeter hanc formam et *quidquid* et ablativum *quoquo* et genitivum qui pronuntiando corruptus inesset in *cuicuiusmodi* usos non esse exposuit, accusativo *quemquem* comicos veteres usos esse; cuius ne Klotzium quidem alia exempla posuit praeter unum Terentii et alterum Plauti quae eadem cum tertio eiusdem Plauti ascripserat Madvigius. Itaque *quemquem* a Nepote alienum esse statuendum est: quamquam enim ille complura posuit quae apud Plautum et Terentium legimus, in aequalium scriptorum libris qui hodie supersunt non deprehendimus, tamen huiusmodi res ei coniectura obrudi ratio non videtur. Superest igitur, si recte Klotzium malam esse Madvigii coniecturam affirmavit, Lambini *quemcumque*. Atque hoc vocabulum ad huius loci rationem multo accommodatius esse simplici relativo *quem* argumentis comprobare Beneckius quidem, ut solet, neglexit, Klotzium comprobare conatus quod voluit non effecit. Recte apertum esse ait Nepotem haec dicere voluisse (ipsa Klotzii verba retineo quo error eius et facilius agnoscat et firmiter reprehendatur): *Diese hatten sich fast sämmtlich nach Athen begeben, nicht um dort, in welcher absicht wol andere nach Athen sich begaben, in musse zu leben, sondern der ort selbst galt ihnen gleich und sie sahen bei der wahl ihres aufenthalts nur darauf dass der ort so nahe als möglich ihrem vaterlande wäre, um von da aus ihr vorhaben dasselbe wiederzugewinnen ausführen zu können.* Sed quod haec a Nepote vix aptius declarari potuisse putat quam iis verbis quae ipse ab eo scripta esse coniecit quaeque recte ita convertit: *Diese hatten sich fast sämmtlich nach Athen begeben, nicht um in musse daselbst zu leben sondern damit sie welchen ort ihnen immer der zufall in grösstmöglicher nähe der vaterstadt angewiesen (potius dargeboten) sich dort (accuratius an diesem) bestrehten das vaterland wiederzugewinnen,* haec igitur quod eandem sententiam quam supra eius verbis exposui referre existimavit, immutata orationis coniunctione ipse se decepit. Nam verbis *sed ut quemcumque ex proximo locum fors obtulisset eo patriam recuperare niterentur* a superioribus separatis et eo modo quo a Klotzio factum est ex apta in absolutam orationem conver-

sis demonstratur quid in deligendo loco spectaverint exules, hoc est antequam constituissent quo se conferrent; qua in re nihil mirum est incertum etiamtum illum locum dici. At ea coniunctione qua Klotzius illa verba a Nepote posita putat quid exules spectaverint postquam Athenas se contulissent declaratur. Tum vero exulibus locum quo patriam recuperare niterentur nequaquam incertum sed certum atque constitutum fuisse, ipsas Athenas, quae deinceps narrantur ostendunt. Itaque *quem* non solum non male a Madvigio inventum esse apparet sed illud esse unum quod a Nepote poni potuerit. Nam eum locum quem ex proximo fors obtulisset (apud Nepotem coniunctivus ponitur quia exulum sententia declaratur) non magis obscurum erat Athenas dici quam Timoth. 1, 2 post verba *Samum cepit* his adiectis: *in quo oppugnando superiori bello Athenienses mille et cc talenta consumpserant id ille sine ulla publica impensa populo restituit* dubium erat quin eadem Samus significaretur. Beneckium vero, cui, cum alium locum praeter ipsas Athenas intellegi non posse vidisset, tamen *quemcumque* recte poni visum est, quid iudicemus nisi quae illius pronomini significatio esset ignorasse?

Pel. 2, 5 Lambinum secutus edidi *Qui cum tempore ipso quo studuerant pervenissent, domum Charonis deverterunt, a quo et tempus et dies erat datus*. Atque Lambinus quidem sensu quodam veri ductus cur codicum scripturam *devenere* corruptam putaret non exposuit, neque mihi ea de causa visa est quod paulo ante bis *pervenire* ponitur, de qua Nepotis negligentia monui p. 25 et hoc loco verba proxima superiora edocere poterant. Tolerarem *venerunt: devenere* a loci sententia abhorret. Hoc enim verbo etsi non semper venire aliquem ex loco superiore in inferiorem aut quae illis respondent ex meliore in peiorem significatur, nusquam tamen aliter utuntur scriptores Latini, certe antiquiores, nisi ut aliquem loco quem tenuit relicto et quasi possessione eius omisa in alium venire declarent. At hic, cum quod ante refertur, exules pervenisse, non possit aliter intellegi nisi ut Thebas pervenisse dici existimentur (falso, quamquam eadem sententia efficitur, plerique interpretes verba *quo studuerant pervenissent* coniungunt; quo facto non *tempore ipso* scribi poterat, debebat *illo ipso tempore*), sed ut dicere institueram, cum exules paulo ante Thebas pervenisse relatam esset, ineptum erat narrare eos ex hoc oppido Charonis domum venisse, quasi ea in oppido non fuisset.

Pel. 3, 4, cum in codicibus scriptum esset *Id illi vino epulisque dediti usque despexerunt ut ne quaerere quidem de tanta re la-*

borarint, recte a primis editoribus post *usque* additum est *eo*. Neque enim codicum scriptura defendi potest huiusmodi exemplis: Plaut. Men. v. 1, 27 *mea quidem hercle causa vidua vivo, vel usque dum regnum obtinebit Iuppiter*, Terent. Heaut. i. 1, 84 *usque dum ille vitam illam colet* —, *interea usque illi de me supplicium dabo*; Cic. Verr. i. 5, 12 *fateatur se privatum hominem praedonum duces vivos atque incolumes domi suae, usque dum per me licuerit, retinuisse*; Liv. xxxiii. 18, 17 *Macedones, usque dum ordines et veluti stipata phalanx constabat, moveri nequiverunt*; Cic. ad Att. xv. 23 *Quousque? inquires. Quoad erit integrum: erit autem usque dum ad navem, ubi ibimus intellegitur*; Plaut. Mil. ii. 2, 13 *ibo odorans quasi canis venaticus, usque donec persecutus vulpem ero vestigiis*; Ter. Ad. iv. 6, 6 *domi certum obsidere est, usque donec redierit*. Nam particulis *dum* et *donec* non minus quam *quoad* tempus ad finem aliquem pertinens indicatur, ita ut *usque dum* et *usque donec* eodem modo dicantur atque nostra *bis solange* et *bis solange bis*, quorum illud particulis *usque dum* quatuor prioribus locis, hoc iisdem quinto et particulis *usque donec* respondet. Haec autem significatio in particula *ut* neque inest, neque si inesset, hic *usque* eodem modo explicari posset, cum a particula *ut* separatum sit. Itaque *usque* aut interpretandum esset *omni ex parte*, qua significatione ponitur sequente eadem particula *ut* apud Terent. Eun. ii. 1, 14 *opus faciam, ut defetiger usque, ingratis ut dormiam*, aut *per omne tempus*, qua ratione sequentibus particulis *ut*, *dum*, *donec*, *quoad* positum videri debet non solum a Plauto Most. v. 1 (2), 12 *pergunt turbare usque, ut ne quid possit conqiescere*, Rud. iii. 4, 10 *est aequum ibi te usque habitare, donec totum carcerem contriveris* et Ter. Heaut. v. 1, 77 *eum adeo exornatum dabo, usque ut, dum vivat, meminerit semper mei*, 2, 30 *usque id egidudum, dum loquitur pater*, Hec. i. 2, 50 *usque illud visum est Pamphilo neutiquam grave, donec iam in ipsis nuptiis cett.*, sed etiam a Cic. Brut. 22, 87 *usque illum, quoad ei nuntiatum esset consules descendisse, omnibus exclusis commentatum in quadam testudine cum servis litteratis fuisse*, ad fam. xii. 19, 3 *michi quidem usque curae erit quid agas, dum quid egeris sciero*, Planco ap. eund. ad fam. x. 7, 2 *usque mihi temperavi, dum perducerem eo rem ut dignum aliquid et consulatu meo et vestra expectatione efficerem*, Varrone de ling. Lat. i. 15 p. 7 Bip. *ubi quidque constitit, locus; ab eo praeco dicitur locare, quod usque demittit, quoad in aliquo consistit pretium*. Ita enim hic Varro- nis locus emendandus videtur, quo in codicibus legitur *usque*

id emit. Quae quod Muellerus Goeschenii suasu ita explicat ut praeconem emere dici putet quia is opus certa pecunia praestandum a conductoribus reipublicae acquirat, non emit ille quoad pretium consistit, sed cum constitit. Demittit vero pretium post maiora pretia minora pronuntians, donec ad minimum pervenit. Sed ut ad Nepotem revertamur, eo loco quem supra posui apparet eum non id dicere voluisse, magistratus Thebanorum nuntium de exulum adventu ad se delatum per omne tempus despexisse, sed ita despexisse ut statim cogitare de eo omitterent. Neque *usque despexerunt* explicare licet *omni ex parte despexerunt*, cum *omni ex parte* nemo despiciat nisi qui ne quaerere quidem de eo quod despicit laboret, ita ut, si illud significare voluisset, sequentia a scriptore adici non potuissent. Quo accedit quod hac significatione particula *usque* a scriptoribus Nepotis aequalibus non est posita. Recto vero illud quoque factum est quod *eo* insertum est non *adeo*, quae particula propter initium sequentis verbi facilius excidisse videri possit. Nusquam enim Nepos *usque adeo* posuit, *usque eo* pluribus locis, ut Dion. 4, 5 *usque eo vitae statum commutatum ferre non potuit ut se de superiore parte aedium deiiceret*; Chabr. 4, 3 *hoc usque eo tota Graecia fama celebratum est ut illo statu Chabrias sibi statuam fieri voluerit*; Ep. 9, 3 *usque eo retinuit quoad renuntiatum est vicisse Boeotios*. Gellium vero, qui VII. 18 ex quinto exemplorum Nepotis haec refert: *eos tamen qui ad Hannibalem non redissent usque adeo intestabiles invisosque fuisse ut taedium vitae ceperint necemque sibi consciverint*, Nepotis verba non ipsa sed immutata a se ponere cum orationis forma docet tum illa *taedium vitae ceperint*, pro quibus non dubium est quin Nepos taedio vitae captos dixerit.

Ea verba de quibus modo disputavimus, Pel. 3, 2 in optimis codicibus haec excipiunt: *Accessit etiam quod magis aperiret eorum dementiam. Allata est enim epistola Athenis ab Archino uno ex his Archiae, qui tum maximum magistratum Thebis obtinebat, in qua omnia de profectione eorum perscripta erant. De altero eorum dictum est p. 20. Sed superiora verba nemo aliter intelleget nisi ut epistolam ab Archino, qui unus fuerit ex his Archiae sociis de quibus scriptor paulo ante dixit, allatam esse referri putet. At scriptorem eodem modo atque Plutarchum epistolam Archiae allatam retulisse quae sequuntur ostendunt: Quae cum iam accubanti in convivio esset data, sicut erat signata sub pulvimum subiiciens In crastinum, inquit, differo res severas. Hoc vitium leni mutatione sustulit Bosius, ita ut pro uno scriberet uni et verbis unie.*

his per appositionem dativum *Archiae* subiici statueret; uno autem idem intellexit inde ortum esse quod librarius haec ad Archinum pertinere putaret. Nam quod ipsum uno retineri et dativum intellegi posse existimavit, neque uno ab antiquioribus pro dativo ponitur, neque, si positum esset, scriptor ea forma hic usus esset, ubi omnes ablativum intellectuuros esse fugere eum non poterat. Sed cum Plutarchus epistolam non ab Archino, sed ab hierophante quodam cui ipsi quoque *Archiae* nomen fuisset missam esse narraret, Aldus incredibili illa licentia ab *Archia hierophante Archiae* scripsit, et Bosius, antequam rectius de hoc loco statueret, ab *Archia uni ex his, Archiae* scribendum coniecit, et utraque interpolatione coniuncta Heusingerus ab *Archia hierophante uni ex his, Archiae* edidit. Unum ex his tribus commentis editores omnes secuti sunt praeter Klotzium: nam Rothium hic ut ubique codices sequi non est quod commemorem. Klotzium vero probabiliter se haec ex codicum scriptura effecisse existimavit: ab *Archia cognomini eius, Archiae*, cum ante eum Staverenus legi posse dixisset ab *Archia hierophante cognomini Archiae*, ineptissime hac conditione adiecta, si codices addicerent. Haec probabilia esse mihi quidem non persuadetur, et is est scriptor Nepos qui permulta narret quae et ab omnium reliquorum auctorum narratione discrepant neque quin falso narrata sint dubitari potest. Quod tamen in hac re quis demonstrabit, quae praeter Nepotem ab uno Plutarcho narratur? Adiectivo autem *cognominis*, cum Plautus usus esset, Nepotem et aequales scriptores usos esse nullum exemplum est. Neque enim eo quod apud Plinium hist. nat. vi. 2, 5 haec leguntur: *Quo loco Henetos adiicit Nepos Cornelius, a quibus in Italia ortos cognomines eorum Venetos credi postulat*, his igitur non adducor ut *cognomines* a Nepote positos existimem, id quod Klotzio visum est. Sed Livium ea voce usum credo, apud quem v. 34, 9 haec in codicibus scripta sunt: *haud procul Ticino flumine, cum in quo consederant agrum Insubrium appellari audissent, cognomine Insubribus pago Haeduorum ibi omen sequentes loci condidere urbem*; quo loco mihi non *cognominem* scribendum, id quod Io. Fridericus Gronovius coniecit, sed *Insubribus* delendum videtur. Sive enim Gronovii coniecturam sequimur sive codicum scripturam ita explicamus ut pagum Haeduorum cognominem dici statuamus Insubribus qui adventu Gallorum illum agrum tenuerint (quamquam num hoc tradere Livius voluerit admodum dubium videtur), inepte *Insubribus* adiecitur, quasi nomine agri Insubrium posito quod nomen pagi Haeduorum fuisset dubium esse

posset. Nam quod alii ita interpretantur ut pago Haeduum cognomen Insubribus fuisse significari existiment, neque cognomen illud sed nomen pago erat neque unius substantivi ablativus ita poni potest ut participio verbi *esse* intellecto ablativi absoluti vice fungatur.

Pel. 4, 1, ubi haec leguntur: *Itaque haec liberandarum Thebarum propria laus est Pelopidae*, nescio qui factum sit ut neque ipse attenderem neque eorum reminiscerer quae Madvigius epist. ad Orell. p. 136 disputavit. Rectissime enim ille gerundivum de praeterito tempore poni negavit et hoc Nepotis loco *liberatarum* scribendum esse monuit.

Ag. 6, 3 cum in reliquis codicibus scriptum esset *Sic adulescentulos simulata laudatione recuperavit et adiunctis de suis comitibus locum tutum reliquit*, in Guelpherbytano *adulescentulis*, in editione Ultraiectina *adulescenteis*, et Rothius et Beneckius *adulescentis* scribendum coniecerunt. Recte statuit uterque incredibile esse eum qui editionem Ultraiectinam correxit *adulescenteis* positurum fuisse, si in codice Danielino *adulescentulos* invenisset. Sed dubium est utrum *adulescentis* invenerit (nam hunc accusativi exitum recte Rothius in Danielino fuisse iudicavit ubicumque alterum qui in Ultraiectina est, rarissimum illum in libris antiquis neque in ullo alio Nepotis codice inventum, enotaverat Daniel; quod ille fecerat amore quodam huius formae hominibus aetatis sua communi ductus non minus quam Gifanius cum *Thraeces* et *Thraeciam* in eodem codice se legisse simulat, pro quibus *Threces* et *Threcciam* scripta fuisse recte idem Rothius Danieli et reliquis Nepotis codicibus credidit: nam ne in aliorum quidem scriptorum libris nisi perpaucis locis illae formae inveniuntur), sed ut dicere institueram, dubium est utrum *adulescentis* in Danielino scriptum fuerit an idem quod in Guelpherbytano indeque *adulescenteis* illud coniectura effectum sit. Utrum verum sit certo discerni nequit; ratio quidem suadet ne Guelpherbytani fidei nisi certis argumentis coacti derogemus. Quod si in Danielino quoque *adulescentulis* scriptum fuerit, equidem *adulescentulos* recte in reliquis codicibus positos puto. Eadem dubitatio c. 7, 1 nascitur, quo loco neque Rothius neque Beneckius se quicquam suspicatos esse significarunt. Ibi enim in Guelpherbytano vitiose scriptum est *cum interim Agesilaus destitit*, in reliquis codicibus *cum interim Agesilaus non destitit*, in editione Ultraiectina *cum interim numquam Agesilaus destitit*.

Eum. 1, 5 Lambinum secutus edidi *Namque apud nos re vera*,

sicut sunt, mercenarii scribae existimantur; at apud illos e contrario nemo ad id officium admittitur nisi honesto loco et fide et industria cognita. Nam quod in codicibus scriptum est contrario ommissa praepositione id recte plerique non solum a Nepote, apud quem Iph. 1, 4. Ham. 1, 2. Att. 9, 3 in omnibus codicibus e contrario legitur, sed ab omnibus antiquis scriptoribus alienum iudicarunt. Neque tamen recte fit quod apud Cic. Tim. 12, quo loco nonnulli contrario a Cicerone scriptum putarant, in codicibus haec leguntur: *iram et metum et reliquos motus animi, comites superiorum et iis etiam contrarios dissidentes*, Stephani coniecturam secuti contrarie edunt, quod nulla probilitate efficitur; neque rectius Goerenzio *dissidentes* delendum videbatur. Ipsa codicum scriptura servanda est. Nam ut apud Caes. b. Gall. II. 24, 4 Numidae diversi dissipatique fugere dicuntur (plura collegerunt Dukerus et Drakenborchius ad Liv. x. 33, 10) et apud Ovidium Metam. II. 74 Phoebus Rapido, inquit, *contrarius evehor orbi*, ita rectissime eadem adiectiva participiis coniunguntur. Et coniunxit alio loco utrumque Cicero, pro Cael. 5, 12 *Neque ego unquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto, tam ex contrariis diversisque inter se pugnantibus naturae studiis cupiditatibusque conflatum*, quo loco ego quaest. Caes. p. 151 male aut verba *interse pugnantibus* delenda aut ante haec, ut Lambinus fecerat, atque inserendum dixi. Hoc Cicero dicit Catilinae studia cupiditatesque et adversa inter se pugnasse, quae a quibus superarentur, et cum in eodem animo colligata essent, in diversas partes nitentia, quae a quibus traherentur. Superest Vitruvii locus VIII. 1, 7, ubi in codicibus haec scripta sunt: *Campestribus autem locis contrario non possunt habere copias, nam quaecumque sunt non possunt habere salubritatem*. Quae cum corrupta esse appareret, neque a superioribus neque a Scheidero probabiliter correctae sunt, quorum illi scripserunt *Campestribus autem locis contrario non possunt haberi copiae, quae etsi sint, non possunt cett.*, hic *Campestris autem loci e contrario non possunt habere copias, et quaecumque sunt non possunt cett.* Scribendum est, ni fallor, *Campestribus autem locis contraria: non possunt habere copias, neque, cum quae sunt, possunt habere salubritatem*. Campestribus locis contraria esse vel accidere ait atque in montibus de quibus ante dixit: non posse haec campestria loca copias habere, neque, cum quae copiae sint, salubritatem has copias habere posse.

Eum. 3, 5 in optimis et plurimis codicibus haec scripta sunt: *Itaque hoc eius fuit prudentissimum ut devii itineribus mili-*

tes duceret in quibus vera audire non possent et his persuaderet se contra quosdam barbaros proficisci. Quae cum Bosius probasset, recte Heusingerus monuit in hac oratione non ut duceret, sed quod duxit scribendum fuisse. Etenim verba hoc eius fuit prudentissimum rem quae prudentissima dicitur factam esse indicant, quae qualis fuisset alio enuntiato explicari non poterat nisi quod particulam quod et perfectum indicativi haberet: particulae ut adiuncto coniunctivo ea est natura ut quid futurum sit declaret. Atque ita de hac re Nepotem retulisse ut non quid fecisset Eumenes sed quid facere voluisset traderet demonstrant quae subiecit: *Itaque tenuit hoc propositum*. Haec cum antiquitus animadversa essent, in codice collegii Romani et affinibus ante ut insertum est *consilium*; quam interpolationem quod superiores editores secuti sunt nondum cognita codicum ratione ignoscendum est, nobis quin repudianda sit dubium esse nequit. Quae in optimis codicibus leguntur ex hac scriptura orta sunt: *Itaque hoc ei visum est prudentissimum*. In quibus litterae quas mutavimus quam facili errore nasci potuerint apparet; gravissima autem codicis archetypi vitia antiquiore orthographia non intellecta et litteris male separatis aut coniunctis nata esse demonstrant quae Milt. 5, 3 et Att. 20, 4 scripta sunt, priore loco *acie e regione instructa nona partis summa*, altero *exul tum his terris*, cum scribi deberet illo *acie regione instructa non apertissima*, ut restituit Rothius, hoc quod Paulus Manutius invenit, *ex ultimis terris*. Eadem de hoc loco in Philologi vol. 1 p. 667 disputavi.

Eum. 7, 4 haec in codicibus scripta et ab omnibus editoribus servata sunt: *invidiam verens, quam tamen effugere non potuit, si potius ipse alienigena summi imperii potiretur quam alii Macedonum, quorum ibi erat multitudo, in principiis Alexandri nomine tabernaculum statuit in eoque sellam auream cum sceptro ac diademate iussit poni eoque omnes quotidie convenire, ut ibi de summis rebus consilia caperentur, credens minore se invidia fore, si specie imperii nominisque simulatione Alexandri bellum videretur administrare*. At nequaquam Eumenes sperare poterat minore se invidia fore quamdiu ipse bellum administrare videbatur, quamvis hoc se Alexandri auspiciis facere diceret. Nam id nobiles illi Macedones neque Eumenem affectare putabant neque ipsi affectabant ut suis auspiciis bellum administrarent, sed cum id auspiciis liberorum Alexandri administraretur, his auspiciis ipsos potius quam Eumenem administrare aequum censebant. In eadem igitur sententia mansissent, si Eumenes se Alexandri auspiciis

bellum administrare simulasset. Et res ipsa et reliquorum scriptorum narratio docet contentionem de imperio ita tollere studuisse Eumenem ut id eorum ducum qui aderant nemini concederetur, sed ab ipso Alexandro teneri simularetur. Atque ita Nepotem quoque de Eumenis consilio retulisse demonstrant verba § 3: *Nam cum non ad Eumenis principia, sed ad regia conveniretur atque ibi de rebus deliberaretur, quodammodo latebat, cum tamen per eum unum gererentur omnia. Itaque non administrare, sed administrari scripsit.*

Inter haec verba quae modo emendavimus et ea quae ad emendationem nostram confirmandam ascripsimus in codicibus haec interiiciuntur: *Quod et fecit.* Hic cum Heusingerus *fecit* eadem significatione atque *effecit* poni posse negasset et *Quod effecit* scribendum dixisset, alii oblocuti sunt alii assenserunt, non ita tamen ut iis qui Heusingero repugnauerant satis firmiter responderent. Atque Bremius quidem nihil attulit refutatione dignum ascriptis locis Paus. 2, 5 et Eum. 2, 5, quorum priore in omnibus fere codicibus, certe in optimis non *fecerit*, sed *perfecerit* legitur, altero, ubi haec leguntur: *interficere conatus est: et fecisset, nisi ille clam noctu ex praesidiis eius effugisset*, iam Heusingerus monuerat verbum *facere* ut saepe vicibus verbi antea positi fungi, ita ut *fecisset* idem esset atque *interfecisset*. Bardilius vero ascripsit ex Nepotis Ep. 3, 6 *eamque summam cum fecerat*, ex Catull. 5, 10 *cum multa milia fecerimus* et quibus praecipue nititur ex eiusdem 74: *Gellius audierat patrum obiurgare solere, si quis delicias diceret aut faceret. Hoc ne ipsi accideret, patrum perdepsit ipsam uxorem et patrum reddidit Harpocratem. Quod voluit fecit: nam quamvis irrumet ipsum nunc patrum, verbum non faciet patrum.* Poterat permulta, qualia ex pluribus generibus collecta sunt in lexico Forcelliniano. At his non demonstratur verbo quod est *facere* praeter actionem eventum actionis significari, id probatur quod exemplis probari non est necesse, cum aliquem efficere aliquid aliis indicii intellegatur, saepe hunc eam rem quam efficiat facere dici. Neque hoc magis in illo verbo accidit quam in aliis quae actionem significant. Velut cum me viam munire dico, et facere me quae viae muniendae sint et hac actione ut via muniatur efficere significare possum, sed alterum ita tantum si eventus aliis indicii cognoscatur. Ita et Epaminondae loco et apud Catull. 5, 10 *summam et multa milia effecta esse* ex totius loci sententia perspicimus et apud eundem 74, 5 *quod voluerat effecisse* Gellium intellegimus:

nam id unum voluisse eum poeta dixerat, *hoc ne ipsi accideret*, quod ineptè fecisse diceretur, nisi effecisset. Eumenis vero loco a quo disputatio nostra nata est in relativo *quod*, cum id adiuncto verbo *fecit* non minus ad *credens* quam ad reliqua quae superiore enuntiato continentur referri possit, nullum indicium inest unde effecisse Eumenem intellegamus quod fecisse dicatur. Itaque hic necessario *Quod effecit* scribendum erat.

Eum. c. 8 refertur Antigonum, cum duae essent viae qua ad hostium hiberna pervenire posset, altera longior et copiosa, brevior altera, sed per loca deserta et inopia aquae laborantia, ut imprudentes adversarios opprimeret, brevior ad eos contendere constituisse. Deinde § 7 haec in codicibus leguntur: *Ad hanc rem conficiendam imperavit quam plurimos utris atque etiam culleos comparari, post haec pabulum, praeterea cibaria cocta dierum decem, ut quam minime fieret ignis in castris. Item quod habebat omnis celat. Sic paratus qua constituerat proficiscitur.* Hic recte in primis editionibus pro particula *item* positum est *iter*. Nam quod Rothius praeoptavit ut scriberetur *item iter*, neque probabilius efficitur et insuavem affert similibus syllabarum repetitionem. Neque tamen illa correctione locus persanatus est. Numquam enim poetae comici aut pedestris orationis scriptores Latini aliquem *iter* habere dixerunt nisi ita ut aut quo aut qua *iter* haberet significarent. Sic Plautus *Asin. ii. 3, 6 huc quia habebas iter*, Terent. *Eun. v. 8, 35 iter hac habui*, Cic. *ad fam. ii. 12, 2 iter habebant ad Adiatorigem*, *ad Q. fr. ii. 6, 2 ille in Sardiniam iter habebat*, *ad Att. viii. 11 D, 2 Caesarem iter habere Capuam*, *Caes. b. civ. i. 14, 3 iter ad legiones habebat*, *51, 1 iter habebant ad Caesarem*, *iii. 11, 2 iter ex Macedonia in hiberna Apolloniam Dyrrhachnumque habebat*, *106, 1 eum Aegyptum iter habere.* Lucano scribere licuit *ii. 439 nullas nisi sanguine fuso gaudet habere vias.* Itaque apud Nepotem scribendum est *Iter quo habeat omnis celat.*

Eum. 9, 3 non servavi quae in codice archetypo scripta fuerunt: *Certos mittit homines ad infimos montes qui obvii erant itineri adversariorum hisque praecepit ut prima nocte quam latissime possint ignis faciant quam maximos, neque Hann. 10, 5 classarios convocat hisque praecepit omnes ut in unam Eumenis regis concurrant navem, sed priore Lambinum, altero Sangallensem, codicem collegii Romani, affines secutus praecipit scripsi motus non tam eo quod utroque loco altera res praesenti tempore enuntiatata erat, quamquam et praemisso et sequente perfecto Milt. 4,*

4 optimo codici Danielino non tantum tribui ut inter haec praesenti interiecto scriberem *classem quingentarum navium comparavit eique Datim praeficit et Artaphernem hisque ducenta peditum, decem milia equitum dedit, sed praefecit reliquorum codicum tenui*; verum, ut dixi, non tam hac de causa illos locos mutavi quam quia praeter hos nullum inveni quo in narratione Nepos perfecto primarii enuntiati in apto praesens coniunctivi subiecisset. Apud Caesarem quidem b. civ. III. 40, 5, ubi in codicibus scriptum est *D. Laelium ab Asiatica classe abductum reliquit qui commeatus Bullide atque Amantia importari in oppidum prohibebat*, non me poenitet de coniectura *prohibeat* posuisse, cum et sententia ut ita facerem flagitaret neque deesset alterum eiusdem scriptoris exemplum, b. civ. III. 20 extr. *legem promulgavit ut sexenni die sine usuris creditae pecuniae solvantur*. Ne Cicero quidem hac coniunctione abstinuit de off. I. 44, 36: *Cato ad Popillium scripsit ut, si eum patiatur in exercitu remanere, secundo eum obliget militiae sacramento*. Nam *obliget* scriptum est in diversae originis codicibus a c d e apud Orellium, Gudiano primo et secundo aliisque apud Heusingerum; *obligaret*, quod in uno bono b et deterioribus f et Guelpherbytano quarto legitur, correctioni deberi demonstrat quod in eodem b, ut in a d Gudiano secundo, scriptum est *patitur*, unde non *pateretur*, quod deteriores codices secuti edunt, etsi id poni potuisse in addendis ad Caesaris mei p. 85, 3 monui, sed ut in c factum est *patiatur* scribendum esse efficitur. Iis non utor quae apud Sall. Cat. 34 scripta sunt: *Ad haec Q. Marcius respondit: si quid ab senatu petere vellent, ab armis discedant, Romam supplices proficiscantur, quia respondit ei vellent facili librariorum errore pro respondet et velint scribi potuerunt*; multo minus his apud eund. Iug. 43: *legatos Romam mittit, quis praecepit primum uti veteres amicos muneribus expleant cett.* et 28: *legatos mittit hisque — praecepit omnes mortales pecunia aggreddiantur*, quae simillima iis quae supra ex Nepotis codicibus proposuimus servaverunt editores, cum utroque loco *praecipit* ne auctoritate quidem codicum destitueretur. Adeo enim fere semper in his et similibus litterae *e* et *i* a librariis permutatae sunt ut apud Nepotem certe, cum auctoritas codicum per se ipsa infirma aliis etiam rationibus elevetur, committendum non videatur ut errore librariorum decipiamur.

Eodem Eumenis loco de quo modo diximus non recepi quae paulo inferius in Guelpherbytano, Sangallensi, editione Ultraiectina, hoc est codice archetypo, scripta nuper commendata sunt:

itemque postera nocte faciant. Neque enim item est *auf dieselbe weise*, sed *ebenfalls*.

Eum. 44, 5 haec in codicibus scripta sunt: *Huic Eumenes Utinam quidem istud evenisset! sed eo non accidit quod numquam cum fortiore sum congressus. Non enim cum quoquam arma contuli quin is mihi succubuerit; non enim virtute hostium, sed amicorum perfidia decidi. Neque id falsum. Nam et dignitate fuit honesta et viribus ad laborem ferendum firmis neque tam magno corpore quam figura venusta.* Hic cum omnes intellexissent inepte extrema superioribus adiungi, de ratione qua vitium tolleretur in diversas sententias discessum est. Buchnero enim excidisse quaedam visa sunt, Heusingerus omnia quae post *decidi* leguntur spuria iudicavit eique recentiores plerique assenserunt. Sed hi neque qui factum esset ut aliquis haec ascribenda putaret explicare potuerunt (nam quod Heusingerus c. 40, 4 post verba *parvi futuros* collocata fuisse existimavit, ne ibi quidem quare ascripta sint ullam causam video) neque alium locum afferre quo in codicibus Cornelii Nepotis aut tam multa interpolata essent aut quae ad res a scriptore narratas pertinerent aut tantam harum rerum scientiam proderent quantam haec produnt. Verissime enim hic Eumenis formam describi ostendunt quae de eadem re Plutarchus tradidit Eum. 44: ἦν δὲ καὶ τὸ εἶδος ἡδύς, οὐ πολεμικῶ καὶ τετριμμένῳ δι' ὀπλων εἰσικώς, ἀλλὰ γλαφυρὸς καὶ νεοπρεπής καὶ πᾶν τὸ σῶμα διηρθρωμένος ὡς ὑπὸ τέχνης ἀκριβῶς τοῖς μέλεσι θανμαστὴν συμμετρίαν ἔχουσιν. Itaque recte Buchnerum statuisse iudicavi post verba *Neque id falsum* item ut Lys. 2, 3 complura excidisse, cumque Bremius se videre negasset quae excidere potuissent quibus apte verba illa de forma Eumenis subiicerentur, in editione mea locum ita supplevi ut et hoc apparere putem et unde lacuna orta sit et quod non recte tradi eidem Bremio visum est, quomodo dignitas et venustas in Eumenis corpore coniuncta fuerint eaque dignitas qua ratione honesta dici potuerit, quod neminem docuisse Heusingerus questus est.

Phoc. 4 de adventu Phocionis, cum is in vincula coniectus Athenas deductus esset, ut ibi de eo legibus iudicium fieret, haec narrantur: *Magni concursus sunt facti, cum alii remiscientes veteris famae aetatis misererentur, plurimi vero ira exaceruerentur propter prodicionis suspicionem Piraei maximeque quod adversus populi commoda in senectute steterat.* Deinde omnes haec a Nepote scripta existimant: *Qua de re ne perorandi quidem ei data est facultas et dicendi causam. Inde iudicio legitimis quibusdam confec-*

tis damnatus traditus est undecimviris. Sed inepte commemoratur Phocioni ne perorandi quidem et causam dicendi facultatem esse datam antequam iudicium haberetur, quam facultatem si ille eo tempore petisset, iure esset negata. Et res ipsa et quae ab aliis scriptoribus traduntur ostendunt Nepotem in iudicio Phocioni eam facultatem ademptam retulisse. Quod si quis hoc quidem sponte ab omnibus qui haec legant intellegi neque fuisse cur a scriptore declararetur, *iudicio* autem sententiam iudicum significari putet, neque ita aliquem iudicio damnari dici existimo reliquis quae in iudicio fiunt exclusis neque hic certe id fieri poterat. Nam legitima illa quibus confectis iudicio damnatus dicitur Phocion, cum proxima ante sententiam iudicum esset peroratio rei, antequam perorandi facultas adimeretur confecta sint necesse est. Itaque recipiendum erat quod in codice Axeniano sive casu sive consilio scriptum est, *in iudicio*, et haec verba sic distinguenda: *Quae de re ne perorandi quidem ei data est facultas et dicendi causam in iudicio; legitimis quibusdam confectis damnatus traditus est undecimviris.* Nam ne ita quidem, si *in iudicio* scribitur, haec verba a superioribus separari possunt, ne quae sequuntur ideo dici videantur in iudicio facta esse ut quae antea commemorantur non in iudicio, sed nescio quando facta esse demonstraretur. Vocabulis *in* et *inde*, quae eadem nota \bar{i} significantur, nulla in codicibus aut facilius aut saepius permutantur.

Timol. 3, 4 Freinshemius vidit inepte haec in codicibus scribi: *Cum tantis esset opibus ut etiam invitis imperare posset, tantum autem amorem haberet omnium Siculorum ut nullo recusante regnum obtineret, maluit se diligere quam metui*, idemque una littera abiecta, ita ut pro *obteneret* scriberet *obtinere*, corruptam sententiam emendavit. Secutus est nemo; tres omnino quod sciam refutare Freinshemium conati sunt. Atque horum Bosius quidem nimis nugatorie re vera Timoleontem imperium obtinuisse narrat, qui id proximis verbis deposuisse dicitur. Quasi vero idem esset imperium atque regnum. Id ipsum inepte diceretur tantum amorem omnium Siculorum habuisse Timoleontem ut nullo recusante imperium obtineret: neque enim hoc quidem permagnum erat. Heusingerus vero et Tzschuckius certe quae sententia requireretur viderunt, sed in eo errarunt quod *obteneret* eadem sententia atque *obtinere posset* poni putarunt. Numquam enim in apta enuntiatione coniunctivo posse aliquid fieri indicatur: id saepe fit ut quae et fieri et posse fieri dicere licet ea fieri dicantur, velut in his Cic. ad fam. 1. 7, 6 *eam esse naturam provinciae tuae ut illius*

reditum vel adiuvando confirmares vel negligendo impedires et II. 19, 1 nec is qui attulerat a te acceperat, ut ex eo scirem quo ex loco aut quo tempore essent datae. Ex iis autem exemplis quae Tzschuckius ascripsit (nam Heusingerus nihil quo explicationem suam confirmaret adiecit) alterum, Eum. 6, 1 *consultum utrum repetitum in Macedoniam veniret*, vix ab homine vigilantibus ascriptum putes, alterum, Timol. 5, 3 *hoc a diis immortalibus semper precatum ut talem libertatem restitueret Syracusanis in qua cuius liceret de quo vellet impune dicere*, rationem quidem habere a nostra consuetudine abhorrentem neque vero eam in coniunctivo esse positam ad Ep. 4, 4 edit. p. 102 ostendi.

De regg. 1, 3 cum testimonio omnium codicum praeter tres deteriores haec in archetypo scripta fuisse evinceretur: *Tres sunt praeterea eiusdem generis: Xerxes et duo Artaxerxes, Macrochir quoque et Mnemon*, et quoque recte quidem omnibus inepte hic poni visum esset neque tamen cur interpolatum esset ulla causa appareret, ita ut deleri posset, quod omnes recentiores editionem Ultraiectinam, Lambinum, tres illos deteriores codices secuti fecerant, in Philologi vol. I p. 667 vocabulum illud ex *cognomine* quod in codicibus *gnomiae* scriptum fuisset ortum iudicavi. Quod autem in Guelpherbyitano et quattuor deterioribus codicibus scriptum est *Artaxerxe*, error horum codicum existimandus est neque inde *Artaxerxae* efficiendum, ut Iacobo Friderico Heusingero ad Cic. de off. III. 11, 48 visum est. Neque enim ideo quod Latini accusativo huiusmodi nominum ad primam declinationem conformato usi sunt reliquis casibus eos eandem formam tribuisse statuere licet.

Ham. 1, 2 Guelpherbytanus et deteriores codices cum illo consentientes haec in archetypo scripta fuisse demonstrant: *Cum autem eius adventum et mari et terra male res gererentur Carthaginiensium, ipse ubi affuit numquam hosti cessit neque locum nocendi dedit saepeque e contrario occasione data lacessivit semperque superior discessit.* Haec cum corrupta esse appareret, iam in codicibus emendandi pericula facta sunt, in Sangallensi, codice collegii Romani, aliis ut *cum ante eius adventum* scriberetur, in quattuor deterioribus *cum autem eius adventu*. Editores omnes prius secuti sunt. Sed ante adventum Hamilcaris res Carthaginiensium male gestae esse tum demum recte dicerentur, si post adventum eius fortuna commutata bene essent gestae. At summae rei nullam mutationem esse factam et ab ipso tantum Hamilcare eo loco ubi affuisset rem bene gestam scriptorem significare vo-

luisse ea declarant quae deinceps tradidit. Nam cum Carthaginienses ante adventum Hamilcaris paene omnia in Sicilia amisisse retulisset, neque quicquam ab eo recuperatum, sed aliquid tantum eorum quae superfuerant defensum, et ubi ille non affuerit, apud Aegates insulas ita Carthaginienses esse victos ut finem facere belli statuerent narravit. Vidi qui verbis *ubi affuit* tempus significari putaret; quod quamquam male fieri sequentia ostendunt, tamen ne admissa quidem hac explicatione argumenta nostra infirmari apparet. Itaque probandum est quod in quattuor deterioribus codicibus scriptum esse retuli, *cum autem eius adventu*. Verba *eius adventu* pervagata ratione hac sententia poni: *eo tempore quo adveniebat*, non est quod moneam. Illud non praetermittam hac ratione et pauciora in scriptura codicis archetypi mutari et aptius haec verba superioribus adiungi.

Paulo post in Guelpherbytano haec leguntur: *Ille etsi flagrabat bellandi cupiditate, tamen paci serviundum putavit, quod patriam exhaustam sumptibus diutius calamitates belli ferre non posse intellegebat, sed ita ut statim mente agitaret, si paulum modo res essent reflectae, bellum renovare Romanosque armis persequi, donecum aut ut rite vicissent aut victi manus dedissent*. Neque in Danielino dubium est quin eadem scripta fuerint, in quo Gifanius suam se coniecturam aut *virtute* invenisse retulit. Reliquorum codicum alii *aut ut certe*, alii *aut certe* exhibent. Apertum est finem illum quoad Hamilcar renovato bello cum Romanis contendere voluerit ita comparatum fuisse ut neque omnium bellorum communis esset neque idem atque superioris belli: nam nisi ita fuisset, quid novo bello opus erat? Iam cum superiore bello Carthaginienses victi manus dedissent, omnium autem bellorum is exitus sit ut qui contendant aut vincant aut victi manus dent, adiectum esse aliquid a scriptore quo exitus huius belli quod animo agitabat Hamilcar accuratius definiretur idque in illis *ut rite* latere necesse est. Itaque probare non possumus quae Reinholdus Klotzius in Iahnii annall. XLVI p. 89 coniecit, aut *donecum aut ipsi vicissent* aut *donecum aut populum Romanum vicissent* scribendum esse; ex quibus in praefatione editionis suae prius tantum commemoravit, nos neutrum ne a litterarum quidem similitudine probabile iudicamus. Neque Handius, qui Tursell. II p. 18 *donec vi aut arte vicissent* scribendum coniecit (nam *donecum* ille a Nepote alienum putabat immemor quam multa is ex antiquiore sermone a Caesare et Cicerone spreta ascivisset), neque qui scripturam codicum quorundam *aut certe* tenuerunt aut aliorum *aut ut certe* ita correxerunt ut *aut vi*

certe efficerent quid sententia requireret perspexerunt. Nemo enim nisi aut vi aut arte vincit; *certe* autem *vincere* Latine non dicitur, et superiore bello Romani et vi vicerant et certam victoriam reportarant. Aliorum commenta ita omni verisimilitudinis specie destituta sunt ut ne commemoranda quidem videantur. Unum enim inventum est quo nihil magis codicum vestigia premat, Gifanii *aut virtute*, idemque sententiae satisfacere edit. p. 448 demonstravi.

Eiusdem c. § 5 vehementer miror ab omnibus fere haec retineri: *Hoc consilio pacem conciliavit; in qua tanta fuit ferocia, cum Catulus negaret bellum compositurum, nisi ille cum suis qui Erycem tenuerunt armis relictis Sicilia decederent, ut succumbente patria ipse periturum se potius dixerit quam cum tanto flagitio domum rediret.* In quibus *in qua* ita explicant ut idem atque *in qua concilianda* esse dicant. Sed gerundivum omitti non posse apparet, quippe quo adiecto quod vocabulo significatur nondum esse indicetur et num futurum sit dubium relinquatur. Plane alienum est quod Bremius ascripsit ex Herod. 1. 65 *μετέστησε τὰ νόμιμα πάντα καὶ ἐφύλαξε ταῦτα μὴ παραβαίνειν*: neque enim τὰ νόμιμα postquam a Lycurgo mutata erant minus νόμιμα erant. Cortius autem ad Sall. Cat. 12, 4 et 27, 4, ad quem Heusingerus nos relegendat, nihil affert quod ad rem de qua agitur pertineat. Recte in editione Ultraiectina scriptum est *in quo*.

Ham. 2, 3 perversam sententiam habent haec verba: *Quibus malis adeo sunt Poeni perterriti ut etiam auxilia a Romanis petierint eaque impetrarint.* Neque enim eo quod perterriti erant Poeni efficere poterant ut Romani auxilia mitterent. Nepos scripsit *impetrarunt*.

Hann. 5, 2 non toleravi quae in codicibus scripta sunt: *Quo repentino obiectu viso tantum terrorem iniecit exercitui Romanorum ut egredi extra vallum nemo sit ausus.* Nam nomine quod est *obiectus* antiquiores pedestris orationis scriptores omnino non sunt usi, ab omnibus autem ita positum est ut actio significaretur. Hic vero id quod obiiciebatur intellegendum esset. Deinde iure Bremius miratus est non eiusmodi participium hic esse positum quo quid ab Hannibale esset factum indicaretur. Haec omnia remouentur lenissima mutatione quae in editione Ultraiectina adhibita est. Scribendum est enim *Quo repentino obiecto viso*; in quibus *viso* nomen esse, *obiecto* participium neminem fugere potest.

Hann. 8, 4 haec in codice archetypo scripta fuerunt: *At Hannibal anno tertio postquam domo profugerat, L. Cornelio Q. Minucio consulibus, cum v navibus Africam accessit in finibus Cyrenaeorum,*

si forte Carthaginienses ad bellum Antiochi spe fiduciaque, cui iam persuaserat ut cum exercitibus in Italiam proficisceretur. Quae cum vitiosa esse appareret, Rothius deleta particula ut deinceps proficiscerentur scribendum coniecit idque Klotzius probavit. Idem ego facere non dubitarem, si quod Klotzius existimavit in archetypo scriptum fuisset proficiscerentur, id quod in uno deteriore codice et editione Argentoratensi legitur. At non solum interpolatum aliquid statuere, sed etiam alterum ita corruptum ut tum demum si hoc corruptum fuerit causa interpolationis perspiciatur quid est aliud nisi dubia dubiis probare? Superest igitur ut excidisse quaedam iudicemus; quod idem ante aliquot saecula complures iudicasse indicio sunt quae in codice Urbinatense in margine sunt ascripta, *excitare posset*, in codice collegii Romani alisque post fiduciaque inserta, *inducere posset*, in Monacensi post Antiochi adiecta, *incitare posset*. Verum horum nihil probabiliter supplementum est, in Monacensi etiam quae coniungenda erant male separata sunt. Ego ut quid et a Nepote scribi et a librariis facili errore omitti potuisset demonstrarem, post fiduciaque adieci possent induci, ita ut haec ob eas litteras quae verbis fiducia et induci communes sunt excidisse statuerem. Eadem ratione alium locum supplevi, sed ita ut quin id ipsum restituerim quod Nepos scripserit non dubitem. Att. enim 42, 3 haec in archetypo scripta fuisse codices nostri demonstrant: *Nam cum L. Saufeii, equitis Romani, aequalis sui, qui complures annos studio ductus philosophiae habitabat habebatque in Italia pretiosas possessiones, triumviri bona vendidissent consuetudine ea qua tum res gerebantur, Attici labore atque industria factum est ut eodem nuntio Saufeius fieret certior se patrimonium amisisse et recuperasse*. Ipsa verba studio ductus philosophiae docere poterant Athenis Saufeium habitasse, nisi id ex Ciceronis epistolis ad Att. vi. 9, 4. vii. 4, 4. xvi. 3, 2 constaret. Itaque recte in codice collegii Romani aliisque Athenis additum est, sed male ante habitabat positum, quo loco qua de causa exciderit non apparet. Collocandum erat post habitabat: ideo enim omissum est quia duae extremae litterae huius verbi et prima sequentis, *habebat*, eadem erant atque tres primae Athenarum. Accedit quod haec verborum collocatio Nepotis consuetudini accommodatior est.

Hann. 8, 3 cum haec in codicibus legerentur: *Antiochus autem, si tam in agendo bello consiliis eius parere voluisset quam in suscipiendo instituerat, propius Tiberi quam Thermopylis de summa imperii dimicasset*, Lambinus eos qui gererent bellum id agere

dici insolens sibi videri monuit et *in gerendo bello scribendum esse supicatus est*. Quem reprehenderunt multi, neque tamen ullum antiquiorem pedestris orationis scriptorem praeter Sallustium hac ratione illa verba posuisse demonstrare potuerunt. Nam apud Caesarem de b. Gall. III. 28, 4 in interpolatis tantum codicibus scriptum est *longe alia ratione ac reliqui Galli bellum agere instituerunt*, in integris *bellum gerere coeperunt*. Sed certa haec videntur: Sall. Iug. 109, 2 *se missum a consule venisse quaesitum ab eo pacem an bellum agiturus foret*, orat. Cottae § 11 *talem honorem bonus nemo volet, cum fortunae et maris et belli ab aliis acti ratio reddenda aut turpiter moriendum sit*, Grat. Cyn. 334 *nisi et accessus et agendi tempora belli noverit*, Ovid. art. am. I. 182 *bellaque non puero tractat agenda puer*, Trist. II. 230 *bellaque pro magno Caesare Caesar agit*, Curt. IV. 42, 29 *finge iustum intulisse te bellum, cum feminis ergo agere debueras?* Mel. I. 16, 4 *genus usque eo quondam armorum pugnaeque amans ut aliena etiam bella mercedibus agerent*, Lucan. IV. 2 *at procul extremis terrarum Caesar in oris Martem saevus agit non multa caede nocentem, maxima sed futi ducibus momenta daturum*. Non negabo tamen praeter Sallustium ab alijs quoque antiquioribus agere bellum eos dici potuisse qui bellum gererent; id nego ab ullo scriptore aut agere bellum eadem sententia qua gerere bellum aut agere et suscipere bellum contraria inter se poni potuisse. Nam cum quis agere bellum aut aliam rem dicitur, omnis motus et animi et corporis indicatur eius hominis qui in ea re est occupatus. Itaque non minus qui suscipit quam qui gerit bellum agit. Neque apud Sallustium Cotta belli ab alijs imperatoribus gesti rationem sibi reddendam queritur, sed in quo et movendo et gerendo aliorum hominum, et hostium et Romanorum, nullae suae partes fuissent. Tam late autem illorum verborum significatio patet ut Livius vel eum qui bella scriberet agere bella dicere potuerit X. 34, 10: *supersunt etiam nunc Samnitium bella, quae continua per quartum iam volumen agimus*; quod vernacule vertas *mit denen wir zu thun haben, uns beschäftigen*. Recte igitur apud Nepotem Lambinus *in gerendo bello scribendum* coniecit. Nam qui suscepit is proprie gerere dicitur, hoc est sustinere, nisi quod in gerendo simul motus significatio inest. Vitium inde ortum est quod omissa lineola qua syllaba *re* notatur *gendo* scriptum erat; id quod perverse correctum est.

Hann. 9, 3 consilium Hannibalis refertur quo is pecuniam quam secum portabat avaritiae Gortyniorum eripuerit. Ibi et in

codicibus et in editionibus haec leguntur: *Amphoras complures complet plumbo, summas operit auro et argento. Has praesentibus principibus deponit in templo Dianae simulans se suas fortunas illorum fidei credere. His in errorem inductis statuas aeneas quas secum portabat omnes sua pecunia complet easque in propatulo domi abiicit.* At inepte commemoratur omnes statuas quas habuerit Hannibalem pecunia complesse, quasi ille hoc egisset ne qua statua inanis relinqueretur. Apparet tot statuas esse completas quot pecuniam quam Hannibal secum portabat caperent: utrum omnibus ad hanc rem opus fuerit necne plane ad rem de qua agitur non pertinet. Id vero agebatur ut pecunia omnis conservaretur. Itaque Nepos *omni* scripsit; unde repetita proxima littera *omnis* et deinceps *omnes* a librariis factum est. Quid ab auctore scriptum esset perspexit qui epitomas harum vitarum confecit a Rothio ex codice Patavino editas, qui p. 191, 24 apud Rothium haec posuit: *pecuniam vero omnem statuīs aeneis quas secum habebat inclusam secum ad Prusiam detulit.*

Hann. 11, 6 recte Lambino vitiosa visa sunt haec verba: *Postquam autem naves completas conspexerunt serpentibus, nova re perterriti, cum quid polissimum vitarent non viderent, puppes averterunt seque ad sua castra nautica retulerunt.* Pergamenos enim qui cum Bithyniis proeliarentur proras ad hostes conversas, puppes aversas habuisse apparet. Non poterant igitur avertere quod aversum erat. His contradici non posse putes; et tamen Lambinus nemini praeter Buchnerum persuasit. Plerique codicum scripturam satis defensam iudicant a Gronovio observatt. iv. 26 p. 827 ed. Lips., qui *puppēs avertere* idem esse contendit atque *πρόμναν κρούεσθαι*. Id quod fieri nullo modo potest. Notum est in hoc Graecos illis verbis significare: navem ita remis promoveri ut puppis antecedit. Qua ratione cum quis ab hoste recedere vult, ei, si puppem ad hostem conversam habet, sane est avertenda; si aversam, qui fiet ut avertat? Non magis verba *puppēs averterunt* defensa sunt a Bremio et Daehnio, quorum ille nihil his verbis indicari putavit nisi Pergamenos navibus abisse, Daehnius puppibus naves significari existimavit. Harum explicationum prior adeo est nugatoria ut refutari non debeat; pro navi autem puppis a nullo scriptore pedestris orationis paulo antiquiore posita est (de qua re dixit Quintil. viii. 6, 20), ne a poeta quidem ita, puto, ut sententia periclitaretur. Assentiendum est igitur Lambino hactenus quod codicum scripturam vitiosam esse dixit; sed quae ei substituenda esse coniecit, *proras averterunt*

aut *puppēs adverterunt*, eorum prius omni probabilitate destituitur, alterum non ita esset a Nepote scriptum, sed *puppēs ad hostes verterunt*. Melius Buchnerus *puppēs converterunt* scribendum suspicatus est. Mihi tamen omnium maxime probabile visum est *puppēs verterunt* a Nepote scriptum idque ut insolentius a librariis mutatum esse. Puppēs eadem ratione qua terga verti dicuntur.

Cat. 2, 2 ne quis miretur me corruptam codicum scripturam *Qua ex re iratus senatu peracto privatus in urbe mansit* ita correxisse ut Bosium secutus post *senatu adicerem consultatu*, cum idem demonstraverim Nepotem, si ita scripsisset, non recte de hac re tradidisse, exponendum est qua ratione adductus tamen id faciendum putarim. Nam quae ab aliis proposita sunt, ut aut pro *senatu* poneretur *consulatu*, quae Pighii coniectura fuit, aut pro *peracto* substitueretur *post consulatum*, ea neque ullam probabilitatem habent neque id quod reprehendi removent. Neque omnino quicquam mutatis iis verbis quae in codicibus leguntur videtur effici posse. Quod si haec quidem ipsa sana esse, sed excidisse aliquid statuimus, lenissima est Bosiana ratio; quaecumque autem excidisse statuimus, quo *peracto* Scipio privatus in urbe mansisse dici potuerit nihil praeter *consulatum* reperio. Eandem rationem secutus sum Thras. 4, 4. Quo loco cum in codicibus haec legerentur: *Hic sequenti tempore, cum praetor classem ad Siciliam appulisset neque satis diligenter in castris eius agerentur vigiliae, a barbaris ex oppido noctu eruptione facta in tabernaculo interfectus est*, incredibile autem esset ita errasse Nepotem qui a nullo auctore relatum invenire potuisset in Sicilia perisse Thrasybulum, quem omnes ad Aspendum interfectum esse tradunt, item ut superiores Longolii correctionem *ad Ciliciam* probavi; qua errori substituitur error ille quidem, sed talis in quem incidisse Nepotem verisimile sit.

Att. 2, 4 cum haec in codicibus scripta essent de Attici erga Athenienses officiis: *Nam praeter gratiam, quae iam in adolescentulo magna erat, saepe suis opibus inopiam eorum publicam levavit. Cum enim versuram facere publice necesse esset neque eius conditionem aequam haberent, semper se interposuit atque ita ut neque usuram unquam ab his acceperit neque longius quam dictum esset debere passus sit*, sequentia autem verba: *Quod utrumque erat his salutare. Nam neque indulgendo inveterascere eorum aes alienum patiebatur neque multiplicandis usuris crescere*, haec igitur cum Atticum accepisse usuras ab Atheniensibus demonstrarent, Gottschalchius in superioribus Nepotem non *neque usuram unquam*,

sed *neque usuram iniquam* scripsisse iudicavit. Cui cum alii assensu essent alii effugia temptassent, Holtzmannus in Zimmermanni diurnis antiquariis anni 1836 p. 867 haec quidem abii-cienda esse demonstravit, ipse autem rectam rationem invenisse sibi visus est qua codicum scriptura defenderetur. Putavit enim Atticum ita se interposuisse ut ab iis hominibus a quibus Athenienses pecuniam aequa condicione mutuam sumere non potuis-sent ipse sumeret, et cum ei aequa condicione sumere liceret, eadem daret Atheniensibus; verbis autem *neque usuram umquam ab his acceperit* Atticum pro opera sua quam in comparanda pecunia collocasset mercedem non accepisse significari statuit. Iam quod Holtzmannus alia ratione nisi ea quam ipse demonstravit Atticum se interposuisse negavit, quia ita tantum verbum illud quod est *interponere* proprio significato poneretur, verum non est. Nam qui alterum difficultate liberat is quocumque modo id facit interponere se recte dicitur, nimirum inter difficultatem et eum qui difficultate premitur. Non repugno tamen quo minus hoc modo quem Holtzmannus exposuit Atticus se interposuisse videatur, modo ne hoc uno, sed sua quoque pecunia credita, et cum illo modo subveniret, aliena tamquam sua. Ita enim statuendum esse et quae sequuntur et superiora *suis opibus inopiam eorum publicam levavit* ostendunt. Quae vero Holtzmannus ver-bis *ut neque usuram umquam ab his acceperit* significari opinatus est fieri non potest ut a Nepote significata sint. Nam ut omittam tam tenuem ac nullam potius laudem Attici, quod is sordidissimo quaestu abstinuisset, non credibile videri a scriptore esse commemoratam, neque *usura* ullo alio loco ita ponitur ut merces eius qui pecuniam compararit significetur neque hic eo signifi-catu positam esse sequentia demonstrant. Nam verbis *Quod utrumque* nullae res indicari possunt nisi quae proximis superioribus inde ab his *ut neque usuram* declarata sunt. Itaque cum ex inferioribus priora *Nam neque indulgendo inveterascere eorum aes alienum patiebatur* ad illa *neque longius quam dictum esset debere passus sit* referri appareat, altera *neque multiplicandis usuris cre-scere* et ad haec *neque usuram umquam ab his acceperit* referri et verbis *usuram umquam* idem significari atque *multiplicandis usu-ris* necesse est. Quod cum servata codicum scriptura fieri non possit, probanda est lenissima Gottschalchii correctio *ut neque usuram iniquam ab his acceperit*.

Att. 3, 3, cum relatum esset Atticum Athenis ita esse ver-satum ut summum Atheniensium amorem consequeretur, haec in

codicibus adiiiciuntur : *Igitur primum illud munus fortunae quod in ea potissimum urbe natus est in qua domicilium orbis terrarum esset imperii, ut eandem et patriam haberet et domum; hoc specimen prudentiae quod, cum in eam se civitatem contulisset quae antiquitate humanitate doctrinaque praestaret omnes, unus ei fuerit carissimus.* Hic leve vitium extremorum verborum recte ab Heusingero sublatum est, qui *unus ei fuit carissimus* scribendum monuit. Gravius superiora verba occupasse *ut eandem et patriam haberet et domum* exposui in Philologi Schneidewiniani vol. I p. 668. Negavi enim eo quod Atticus Romae esset natus effectum esse ut is in eadem urbe domicilium haberet, quod non casu nascendi, sed eligendi iudicio constitueretur. Quo nomine reprehensus sum a Fleckeisenio, qui eiusdem Philologi vol. IV p. 339 nota 29 Nepotem *domum* hoc loco non dixisse ubi habitaret Atticus, sed ubi natus esset contendit idemque discrimen significasse quod a Cicerone de legg. II. 2, 5 indicaretur his verbis : *ego omnibus municipibus duas esse censeo patrias, unam naturae, alteram civitatis* et paulo post *alteram loci patriam, alteram iuris.* Ego vero vehementer miror haec ipsa Ciceronis verba Fleckeisenium non edocuisse illa quae apud Nepotem leguntur non ita ut voluit explicari posse. Quid enim? cum patria et loci ubi natus est aliquis et civitatis significationem comprehendat, recte aliquis et patriam habere urbem et in eadem natus esse dicitur? Recte igitur eum loqui putabit Fleckeisenius qui se et corpus et caput habere dicat. Sed confugiet fortasse eo ut Romanos communi loquendi consuetudine eam tantum patriam dixisse contendat quae iuris esset idque ipso illo Ciceronis loco probari existimabit, quo cum Cicero villam prope Arpinum germanam suam et fratris patriam dixisset, Atticus paulo post *Sed illud tamen, inquit, quale est quod paulo ante dixisti, hunc locum germanam patriam esse vestram? numquid duas habetis patrias? an est una illa patria communis? nisi forte sapienti illi Catoni fuit patria non Roma, sed Tusculum.* Quod non est ita, neque unquam adeo Romani apertam vocabuli illius originem oblivisci potuerunt ut eo nascendi locum non significarent. Sed Atticus cum duas uni homini patrias esse non posse putaret (quod re vera fieri non potest cum accurate loquimur; potest patria inter duas urbes divisa esse), sed cum ita statueret Atticus, cum quis in alia urbe natus alius civis esset, quia iuris longe maior in vita hominum vis erat quam naturae eam tantum cuius civis esset patriam recte dici existimabat. Itaque cum hac artiore significatione *patria*

nulla re adiecta dici non possit nisi de certae condicionis hominibus et ne de his quidem nisi minus accurate, nequaquam vero neque de his neque de aliis ita ut alteri vocabulo opponatur quod alteram patriae partem significet, quia cum duo vocabula inter se opponuntur plena significatione utrumque accipiendum est, neque illa *ut eandem et patriam haberet et domum* aliter intellegi posse atque a me factum est et recte mihi corrupta visa esse existimo. Neque coniecturae me poenitet eodem Philologi loco quem supra indicavi propositae: *ut eandem propriam haberet domum*; quorum verborum haec est sententia, Attico, in quamcumque se civitatem commorandi causa conferret, et ius fuisse Romae habitandi et ut ibi habitaret convenisse. Particulae *et* quas delevi vel exitu superiorum verborum male repetito nasci vel cum *patriam* scriptum esset interpolari potuerunt; *pria* autem et *ppria*, quo modo *patria* et *propria* in codicibus scribuntur, quam facile permutari potuerint apparet. Neque tamen ita certa esse puto quae conieci ut id ipsum quod Nepos scripserit me restituisse contendam, neque illa recepissem si editio mea doctis hominibus parata esset. Tractavit haec eadem verba Bergkii in Mus. Rhen. vol. VII p. 459. Qui quae disputavit me non satis intellexisse fateor; quod autem verba *ut eandem et patriam haberet et domum* post *fuit carissimus* collocanda censet, id fieri non posse video. Nam domus Attico Athenae per tempus aliquod fuerunt, patria numquam, quippe qui neque natus esset Athenis neque civis factus.

Extrema verba eius loci de quo modo disputavimus, *unus ei fuerit carissimus*, et vitiosa dixi et recte ita a Heusingero correcta ut *fuit* ponendum moneret. Neque enim minus his verbis quam superioribus *quod in ea potissimum urbe natus est* ipse scriptor quid factum sit, non quid ab aliis aut traditum aut existimatum refert; qua una ratione coniunctivus poni poterat. Quo magis miror eundem Heusingerum c. 16, 4 non animadvertisse vitiose haec in codicibus esse scripta: *Humanitatis vero nullum afferre maius testimonium possum quam quod adolescens idem seni Sullae fuerit iucundissimus, senex adolescenti M. Bruto, cum aequalibus autem suis Q. Hortensio et M. Cicerone sic vixerit ut iudicare difficile sit cui aetati fuerit aptissimus*. Quorum verborum cum plane eadem causa esset, ne hic quidem *fuit iucundissimus* et *vixit* scribere dubitavi.

Att. 8, 4, ubi haec in codicibus leguntur: *Secutum est illud occiso Caesare, quo res publica penes Brutos videretur esse et Cassium*

ac tota civitas se ad eos convertisse videretur, leni correctione contentus fui adhibita iam in editione Veneta ut *quom res publica* scriberem, cum *quo* vitiosum esse praeter alia coniunctivi qui sequuntur demonstrarent. Recte dicitur *illud* et nominativo et accusativo casu non minus quam plurali numero *illa*; qui numerus hic positus non est quia non plures res quae actae sint, sed universa reipublicae condicio quae fuerit indicatur. Eandem editionis Venetae correctionem permulti secuti sunt, sed plerique ita ut verba perverse distinguerent. Nam partim post *illud* partim post verba *occiso Caesare* puncto posito sequentia adiunxerunt inferioribus verbis sic *M. Bruto usus est ut nullo ille adolescens aequali familiaris quam hoc sene neque solum eum principem consilii haberet, sed etiam in convictu*. Iam cum priorem rationem sequimur, eorum qui punctum post *illud* ponunt, hoc vocabulo significatur *id quod sequitur*, hoc est quod Attico accidit. At cum Nopos superiorem locum de ratione qua Atticus tempore belli Caesariani in re publica versatus esset et inferiorem quo modo bello Mutinensi se gessisset his verbis inceperit: *Incidit Caesarianum civile bellum* (c. 7) et *Secutum est bellum gestum apud Mutinam* (c. 9), huius quoque loci initio qui inter illos interiectus est simili modo de rei publicae tempore dixerit necesse est. Quo eodem argumento, ut hoc interponam, Nepotem non ea scripsisse demonstratur quae Rothio ponenda visa sunt: *Secutus est illud* (institutum ex superioribus intellegi voluit) *occiso Caesare quoque, cum respublica cett.* Hoc vitium evitant ii qui punctum post verba *occiso Caesare* ponunt, sed in aliud incidunt. Nam particula *cum*, quae adiunctis verbis *occiso Caesare* ad haec referri potest, his a sequentibus separatis nescio quam rationem inter Brutorum et Cassii potentiam et Attici cum M. Bruto familiaritatem intercessisse significatur, qualis neque intercessit ulla neque ut intercessisse existimaretur scriptoris consilio accommodatum erat.

Eiusdem c. § 5 frustra defenduntur haec verba: *Neque multo post superior esse coepit Antonius, ita ut Brutus et Cassius provinciarum quae his necis causa datae erant a consule desperatis rebus in exilium proficiscerentur*. Hic verbis *necis causa* significari interpretantur *ob necem ab iis Caesari illatam*, provincias autem eas dici quae Bruto et Cassio Macedonia et Syria ad Antonium et Dolabellam translatis essent datae; quarum provinciarum eam quae Bruto decreta est Cretam fuisse ex Cic. Phil. II. 38, 97 constat, de Cassii provincia nihil Cicero refert, reliqui dissentiunt: Appianus (III. 8. 12. 16. 36. IV. 57) Cyrenas, Plutarchus (Brut.

49) Africam, Cassius Dio (XLVII. 21) Bithyniam nominat. Atque horum Plutarchum quidem errare certum est, cum Cicero Phil. III. 40, 26 Africam in annum 43 C. Calvisio decretam esse referat; Cassium Dionem eo argumento quo Drumannus usus est hist. Rom. I p. 140, quod in Bithyniam Tillius Cimber profectus esset, erroris convincere non possumus: nam Tillius Cimber hanc provinciam anno 44 obtinuit, Cassio autem et Bruto qui hoc anno praetores essent in sequentem annum provinciae decernebantur: sed videtur tamen maiore fide dignus Appianus, qui omnium accuratissime has res persecutus est et cuius narrationem Plutarchi error videtur confirmare. Sed ut ad Nepotis locum revertamur, reliquis uti diximus explicatis ii qui codicum scripturam defendunt genitivum *provinciarum* aptum esse narrant ab inferioribus *desperatis rebus* et his significari putant Brutum et Cassium desperasse fore ut provincias decretas a senatu obtinere sibi liceret. Ex his omnibus plane nihil probari potest. Nam primum in vocabulo quod est *nex* nulla inest eius qui necem infert significatio sed eius tantum qui patitur. Deinde nullae omnino provinciae Cassio et Bruto ea de causa decretae sunt quia Caesarem interfecerant. Syriam enim et Macedoniam Caesar dederat; quas post mortem Caesaris retinuerunt non quod eum interfecerant, sed quia acta Caesaris confirmata sunt; Creta et Cyrenae datae sunt ut iniuria quam adeptis prioribus provinciis passi erant aliqua ex parte leniretur; eae vero provinciae quas hic a Nepote significatas esse docebimus decretae sunt ut honesta specie Roma abessent, ubi se tuto versari non putabant. Denique cur Brutus et Cassius Cretam et Cyrenas se obtinere posse desperarent nulla causa erat, neque res provinciarum desperare eos dici posse qui se provincias obtinere posse desperent apertum est. Itaque cum duplex mendum haec verba occupasse appareat, alterum a Cuicilio correctum existimavi qui *dicis causa* scribendum coniecit; quod lenissima mutatione efficitur, si, ut fit in antiquis codicibus, *nicis* scriptum fuisse statuimus; alterum ita removi ut ante verba *desperatis rebus* excidisse nonnulla iudicarem, eamque lacunam verbis *destituta administratione* explendam videri dixi ut et sententia et origo mendii appareret. Provincias autem eas significari monui quas Cicero iis locis quos ascripsi a senatu decretas esse refert, Bruto ut ex Asia, Cassio ut ex Sicilia frumentum Romam deportandum curarent; neque Drumannum secutus sum qui hist. Rom. I p. 140 et 164 Bruto ex Creta, Cassio Cyrenis frumenti deportandi curam mandatam esse contendit, Ciceroni autem ea

quae ad Att. xv. 9 et 11 scriberet falso relata esse et de Bruto ab ipso Cicerone Phil. II. 38, 97 veriora tradita iudicavit. Neque enim recte iudicasse Drumannum ostendit quod Cicero in eadem epistola 11 libri xv ad Atticum in qua Asiam et Siciliam nominat § 2 Serviliam pollicitam esse scribit se curaturam ut illa frumenti curatio de senatus consulto tolleretur (intellegimus autem eam aliam curationem substitui voluisse), quae repetit ep. 12, 1. At tolli de senatus consulto nihil poterat nisi facto senatus consulto; facto autem senatus consulto quid contineretur Ciceronem, Brutum, Cassium, Serviliam ignorasse incredibile est. Nam id omitto omnia quae ep. 11 narrantur et quod Cicero ep. 12, 2 scribit, Brutum sibi dixisse se statim in Asiam iturum eumque navigia collegisse, non videri fieri potuisse nisi quid decresset senatus compertum fuisset. Sed in hunc errorem Drumannus alio errore inductus est, quod has provincias frumenti Romam deportandi confudit cum illis de quibus supra dixi, quae Bruto et Cassio adempta Syria et Macedonia in annum 43 decretae erant. Ita factum est ut Ciceronem Phil. II. 38, 97 alia de Bruti provincia tradere putaret atque in epistolis ad Atticum, cum illo loco provincia in annum 43 decreta significetur, in his curatio frumenti in annum 44 mandata.

Att. 11, 2 praemissis his: *Quibus ex malis ut se emeris, nihil aliud egit quam ut plurimis quibus rebus posset esset auxilio. Cum proscriptos praemiis imperatorum vulgus conquireret, nemo in Epirum venit cui res ulla defuerit, nemini non ibi perpetuo manendi potestas facta est*, haec in codicibus subiiciuntur: *quoniam etiam post proelium Philippense interitumque C. Cassii et M. Bruti L. Iulium Mocillam praetorium et filium eius Aulumque Torquatium ceterosque pari fortuna percussos instituerit tueri atque ex Epiro his omnia Samothraciam supportari iusserit*. Quae cum corrupta esse appareret, duabus propositis emendandi rationibus Simeonis Bosii et Lambini, quorum ille *qui etiam hic instituit et iussit* scribendum putavit, plerique priorem secuti sunt; quod non videntur facturi fuisse nisi falso *qui* in codicibus legi existimassent aut si, ad quam rem nemo praeter Paulum Manutium et Tzschuckium attendit, quam dure pronomen relativum poneretur intellexissent. Tamen ego quoque Bosianam rationem praetuli. Nam duram illam orationis conformationem quam in editione reprehendi idem a Nepote non alienam esse demonstravi. *Quoniam etiam* autem maiorem vim habet quam quae ei rei de qua refertur accommodata sit. Neque enim hoc ab Attico factum esse nescio quam admirabile

videri poterat, sed cum maius esset quam reliqua, illis generatim significatis praeterea hoc factum esse separatim commemorandum videbatur. Pro *Mocilla* autem non posui *Motacillam*, quod Glandorpius faciendum existimabat, quia illud nomen a movendo non minus recte quam *momentum* declinaturn esse videbatur. Sed in iis quae verba de quibus diximus excipiunt miror a permultis retineri quod in codicibus scriptum est: *Difficile est omnia persequi et non necessaria*, cum iam Longolius *necessarium* scribendum esse dixisset. Quid enim? hoc difficile est non necessaria persequi? an haec sibi quisquam qui quidem satis sanus sit persequenda putat?

Aegre fero me nihil in editione annotasse de compositione verborum veteris poetae quae Nepos Att. 14, 6 posuit:

Sui cuique mores fingunt fortunam hominibus.

Significavit enim mihi vir primarius, Carolus Lachmannus, non recte sibi post *cuique* adiectum videri *hominibus*, idemque *sui cuique mores* scribendum coniecit; de qua compositione dixit Madvigius ad Cic. de fin. p. 699. Eadem de his verbis disputavit Fleckeisenius Philol. vol. iv p. 340. Mihi tamen *cuique* recte defensum videtur a Klotzio. Persaepe enim fit ut praemisso vocabulo quo multitudo aliqua significatur deinde per appositionem subiiciatur *quisque*. Nihil igitur impedit quo minus inversa ratione singulis significatis deinde quo ex genere illi sint adiciatur. Itaque in ipsa compositione non est quod vituperes; id reprehendi potest, cum pronomine *cuique* posito nemini dubium esse possit quin homines significantur, tamen id deinceps declarari. Verum hanc abundantiam equidem ferendam puto, cum veteres poetas Latinos paulo pinguiore orationis genere usos esse constet. Itaque apud Nonium quoque p. 526 Merc., quem locum commemoravit Fleckeisenius, ubi mutilatis verbis haec leguntur: *sui cuique mores fingunt*, recte Rothium adiecisse arbitror *fortunam hominibus*, neque Fleckeisenio assentior qui aut nihil nisi *fortunam* suppleendum aut hoc quoque loco *quique* scribendum iudicavit.

Att. 14, 3, ubi haec in codicibus leguntur: *Nullos habuit hortos, nullam suburbanam aut maritimum sumptuosam villam neque in Italia praeter Arretinum et Nomentanum rusticum praedium, Rothius Reatinum* pro Arretino ponendum significavit idque Klotzio tam certum visum est ut, cum reliqua nomina pleraque ita ut in editione Billerbeckiana invenerat scripta reliquisset, hoc tamen reciperet. Itaque ab utroque petendum videtur ut causas exponant quibus adducti Attico non Arretinum, sed Reatinum praedium fuisse iudicarint. Nam mihi quamvis sedulo anquirenti ut inve-

nirem quo hoc probaretur non contigit. Quod autem in annotatione ad hunc locum editionis p. 183 errore factum esse dixi ut a Cicerone ad Att. VII. 11, 1 haec scripta existimarentur: *Unam mehercule tecum apricationem in illo Lucretino tuo sole malim quam omnia istiusmodi regna* et his significari putaretur Attico praedium prope Lucretilem montem fuisse, neque ita in optimis codicibus legi, sed *lucrativo* Mediceus demonstrat, neque a Lucretili adiectivum *Lucretinus* declinari potest; quamobrem Faernus *Lucretilino* scribendum iudicabat. Ego vero *lucrativum solem* probare non dubito. Nam etiamsi Ciceronem alio loco hoc adiectivum posuisse non constaret (quod mihi quidem constat qui apud Quintil. x. 7, 27 nihil aliud optimos codices significare putem quam quod in mediocribus est et editur: *Neque enim fere tam est ullus dies occupatus ut nihil lucrativae, ut Cicero Brutum facere tradit, operae ad scribendum aut legendum aut dicendum rapi aliquo momento temporis possit*), sed etiamsi hoc uno Ciceronis loco adiectivum *lucrativus* inventum esset, tamen ob eam causam de codicum fide dubitandum non existimarem. Quem vero Cicero *lucrativum solem* dixerit hoc loco, id ignoramus nos quidem. scilicet ut alia multa in his ad Atticum epistolis; quem potuerit dicere non difficulter invenitur. Nam *lucrativus sol* et is dici potuit quem Atticus negotiis surripuisset et is quo ut frueretur aliquo loci impedimento amoto effecisset.

Att. 13, 1 haec in optimis codicibus scripta sunt: *Quidquid rogabatur, religiose promittebat, quod non liberalis sed levis arbitrabatur polliceri quod praestare non posset. Idem in nitendo quod semel annuisset tanta erat cura ut non mandatam sed suam rem videretur agere.* Recte dicitur *annuere* adiuncto accusativo pronominis neutri generis, ut Cic. de orat. II. 70, 285 dixit *id quoque toto capite annuit*. Item *niti* tolerarem eodem illius pronominis casu adiecto, quamquam eius rei nullum apud pedestris orationis scriptorem exemplum inveniri arbitror: diversa enim sunt quae Cicero scripsit de sen. 10, 33: *moderatio modo virum adsit et tantum quantum potest quisque nitatur*, ubi accusativo modus nitendi significatur. Verum id ferri non potest ut ablativus gerundivi ponatur intellecto *eo*, non magis quam *niti* aliquis rem recte dici potest. Gerundium autem in tali oratione positum, ut *in nitendo* intellecto accusativo *id* dictum videri posset, et a Nepotis et ab omnium honorum scriptorum consuetudine abhorret. Non magis fieri potest quod interpretes plerique nos facere iubent, ut post verba *in nitendo* intellegamus *id perficere* aut *ut id perficere-*

tur, quorum prius ne poni quidem recte poterat infinitivo gerundio subiecto; alterum poni poterat, omitti nullo modo. Nam quae comparant ex Cic. Acad. prior. 24 extr. *nitamur igitur nihil posse percipi* ea eandem habent orationis brevitatem de qua ego dixi ad Att. 24, 5 editionis p. 188 et Madvigius ad Cic. de fin. p. 32, quae non admittitur nisi accusativo cum infinitivo subiecto. Itaque quin verba *in nitendo quod semel annuisset* corrupta sint dubitari non potest; corrigere unus Rutgersius temptavit, cui *in tuendo* scribendum visum est. Verum multo leniore mutatione efficitur *in nitendo, quom semel annuisset*.

C. 46, 3 Beneckius servavit quod in optimis codicibus scriptum est: *quae qui legat non multum desiderat historiam contextam eorum temporum*, cum superiores recte *desideret* edidissent, quod legitur in codice collegii Romani. Inepte enim fieri aliquid dicitur ea condicione adiecta ut id fiat quod non fit. Indicativus futuri recte poneretur. *Desiderat* librarius scripsit soni similitudine verbi *legat* in errorem inductus.

C. 47, 4 haec in codice archetypo scripta fuerunt: *De pietate autem Attici quid plura commemorem? cum hoc ipsum vere gloriantem audierim in funere matris suae, quam extulit annorum xc, cum vii et lx se nunquam cum matre in gratiam redisse, nunquam cum sorore fuisse in similitate, quam prope aequalem habebat*. Quae cum vitio laborare perspectum esset, in plerisque codicibus esset ante vii et lx, in Ottoboniano *haberet* post ea verba adiectum est, in aliis aut *cum* aut et hoc et sequentia vii et lx deleta sunt. Horum neque quicquam probabiliter fit, neque *cum esset vii et lx*, quod editores receperunt, sed *cum ipse esset vii et lx*, ut accurate oratio conformaretur, scribi debebat; qua in re etsi Nepotem negligentius versatum esse constat, tamen coniectura per se improbabili talia ei obtrudi ratio non videtur. Equidem nihil hic excidisse iudico, sed *cum* particulam ortam esse ex litteris *ann*, quo compendio *annis* significatum erat.

C. 48, 4 recentiores plerique defendunt haec quae in codicibus leguntur: *Moris etiam maiorum summus imitator fuit antiquitatisque amator; quam adeo diligenter habuit cognitam ut eam totam in eo volumine exposuerit quo magistratus ornavit*. Hic verbis *magistratus ornavit* significari putant Atticum magistratus relatis eorum rebus gestis celebrasse. Sed primum *ornare*, quod est instruere, saepe significat speciosum aliquid reddere, celebrare non magis quam nostrum *ziere*n, nisi *laudibus* vel simile quid adiciatur. Deinde quis tandem sibi persuadebit Atticum libro in

quo omnem populi Romani antiquitatem exposuisset magistratus potius quam universum populum Romanum sibi celebrare visum esse; in quo quidem, cum omnes res illustres populi Romani essent notatae, permulta relata fuisse apparet quae nihil facerent ad laudem magistratum. Relinquitur ergo ut Atticum hoc libro magistratus instruxisse interpretemur quo illi in re publica administranda adiuventur. At hoc quoque ineptum est. Nihil enim praeter historiam hoc libro comprehensum erat, qua exposita non magistratus magis quam omnes qui aut in re publica versarentur aut antiquitatis studiosi essent adiuventur; nihil de iis rebus quae ad ipsam honorum administrationem pertinerent. Huc accedit ut eius rei commemorationem desideremus quam nisi persecutus esset Atticus non poterat hic liber annalis appellari: nam non ea solum quae deinceps enumerat Nepos, sed ante omnia magistratus suo quosque tempore notatos fuisse certum est. Itaque recte Ioannes Gerardus Vossius *quo magistratus ordinavit* scribendum dixit. Quod Heusingerum minus recte hoc loco poni iudicasse miror. Scripsit enim eodem modo Livius II. 21, 4: *tanti errores implicant temporum aliter apud alios ordinatis magistratibus*. Iis quae ad § 2 huius capituli editionis p. 184 de *propagibus* annotavi addi potest Varronem quoque de ling. Lat. VIII. 24 p. 109 Bip. translate hoc vocabulo usum esse: *De quibus utriusque generis declinationibus libros faciam bis ternos: priores tres de earum declinationum disciplina, posteriores ex eius disciplinae propagibus*.

Att. 18, 3 optimos codices secutus haec restitui: *Fecit hoc idem separatim in aliis libris, ut M. Bruti rogatu Iuniam familiam a stirpe ad hanc aetatem ordine enumeraverit notans qui à quoque ortus quos honores quibusque temporibus cepisset, pari modo Marcelli Claudii de Marcellorum, Scipionis Cornelii et Fabii Maximi Fabiorum et Aemiliorum*. Ac de extremis quidem verbis dictum est in editione; in superioribus Boeclerus et recentiores plerique *enumeravit* scripserunt. Quod scire velim quibus argumentis demonstrari possit Nepoti declarare non licuisse quid inde quod Atticus aliis libris separatim de familiarum origine exposuisset effectum esset. Equidem facile evincam hoc longe aptius ab eo factum esse quam si eos Attici libros quos deinceps enumerat ita commemorasset ut se exempli causa commemorare significaret. Nam qui nonnulla exempli causa commemorat, eum nequaquam certum est omnia commemorare quibus pro exemplo uti possit. At qui Attici vitam in libro de historicis Latinis enarraret, eum

efficere oportebat ut qui hanc vitam legerent de omnibus Attici libris ad historiam pertinentibus sibi referri scirent.

Non facile quod quidem plane certum sit constituitur de iis quae Att. 19, 3 leguntur. Ibi haec in codice archetypo scripta fuerunt: *Namque hic* (Atticum dicit Nepos) *contentus ordine equestri quo erat ortus in affinitatem pervenit imperatoris divi filii, cum iam ante familiaritatem eius esset consecutus nulla alia re quam elegantia vitae qua ceteros ceperat principes civitatis dignitate pari, fortuna humiliores. Tanta enim prosperitas Caesarum eum est consecuta ut nihil ei non tribuerit fortuna quod cuiquam ante detulerit et conciliarit quod nemo adhuc civis Romanus quivit consequi.* Nihil hic impedimur mirificis Heusingeri erroribus; qui primum *humiliore* scripsit, quod in nullo codice legitur, et Atticum dignitate pari, fortuna humiliore dici interpretatus est quam ceteros principes quos elegantia vitae cepisset. Itane vero? Pari dignitate fuit Atticus atque Sulla, Pompeius, divus Iulius? Deinde non satis apparere ait qui factum sit ut scriptor hic Octavianiani prosperitatem celebrandam putaret. Nimirum ne appareret ipse effecerat ineptissime superioribus verbis immutatis. Denique postremis verbis improbitatem impietatemque Augusto exprobrari narrat qui patriam per vim oppressisset, neque ei fortunam tribuisse quae aliis ante detulisset, sed his longe maiora, honores regales ac prope divinos. Itaque haec omnia ad Atticum referenda putavit ita mutata codicum scriptura ut *Caesarum* vel et hoc et *eum* et infra *nemo adhuc* delerentur. Scilicet haec recte praedicarentur de homine equestrem dignitatem non egresso! At verbis *et conciliarit quod nemo adhuc civis Romanus quivit consequi* nullum crimen in Augustum coniicitur, cum nulla re significetur eum haec improbe esse consecutum; eadem autem quae Augusto quidni antea tribuisse dicatur fortuna, cum multi ante eum et reges fuerint et pro diis culti sint, ita ut Nepos auxisse potius quam minuisse videatur Augusti felicitatem, qui quidem cuiquam plura detulisse fortunam negarit. Et tamen Beneckius de illis quidem *dignitate pari, fortuna humiliores* errasse Heusingerum, rectissime vero eundem iudicasse de sequentibus affirmat. Verum haec omittamus; id quaeramus quid faciendum sit verbis quae corrupta esse apparet *Tanta enim prosperitas Caesarum eum est consecuta.* Duas rationes esse video quae quidem probabiles sint quibus haec corrigi possint, ut aut *Caesarum* deleatur aut deleto *eum* scribatur *Caesarem*. Priorem si sequimur, explicandi causa ascriptum esse *Caesarem* et cum id in ipsa scriptoris verba ir-

repsisset, ut species aliqua sententiae nasceretur, *Caesarum* correctum esse statuendum est. Sed ita *eum* negligenter ponitur, cum proxima superiora non de Caesare sed de Attico dicantur. Quam negligentiam etsi a Nepote non alienam esse confitendum est, de quae re dixi ad Paus. 3, 5 editionis p. 38, tamen, cum inter duas scripturas pari auctoritate commendatas optio datur, ratio postulat ut eam eligamus qua recepta rectius auctorem scripsisse iudicandum est. Quod si Nepotem *Tanta enim prosperitas Caesarem est consecuta* scripsisse putamus, neque ulla ex parte haec reprehendi possunt neque quomodo a librariis *Caesarum eum* poni potuerit difficilius explicatur. Aut enim, cum errore scriptum esset *Caesarum*, ab aliquo qui accusativum desiderabat *eum* interpolatum est, aut cum aliquis prosperitati genitivum adiungendum putasset et ut *Caesarum* scribendum esse significaret litteram *u* supra extremam syllabam posuisset, primum *Caesar eum*, deinde, ut aliqua esset orationis forma, *Caesarum eum* positum est. Itaque ut alii complures item ego hanc rationem praetuli, qua iam is usus est qui codicem *A* aut scripsit aut emendavit.

Att. 20, 4 nonnulli haec probarunt quae scripta fuerunt in codice archetypo: *Quamvis ante haec sponsalia non solum cum ab urbe abesset, numquam ad suorum quemquam litteras misit quin Attico mitteret quid ageret, in primis quid legeret quibusque in locis et quamdiu esset moraturus, sed etiam cum esset in urbe et propter infinitas suas occupationes minus saepe quam vellet Attico frueretur, nullus dies temere intercesserit quo non ad eum scriberet cett.* Illic Heusingerus *intercesserit* probabat, quia particulae *quamvis* rectius coniunctivus adiungeretur; quo fiebat ut hoc recepto ne supra quidem *misit* sed *miserit* scribendum existimaret. Verum cum *quamvis* pro *quamquam* positum sit, coniunctivus ei particulae adiungi nequit. Aliam ratiocinem inierunt Tzschuckius et Beneckius, qui coniunctivo *intercesserit* modeste affirmari interpretati sunt; et poterat hac ratione et hic coniunctivus recte a scriptore poni et supra indicativus, siquidem superiora non modeste affirmanda, sed pro certis narranda putaret. Sed si Nepos scripsisset *nullus dies temere intercesserit*, non poterat subicere *quo non ad eum scriberet*, debebat *quo non ad eum scripserit*. Itaque recte Lambinus correxit *intercessit*, quod in Schotti codice scriptum fuit.

II.

Ex eodem codice unde omnes libri originem ducunt in quibus Cornelii Nepotis liber de excellentibus ducibus exterarum gentium et ex libro de historicis Latinis vitae Attici et Catonis leguntur duo fragmenta ad nos propagata sunt quae et verba esse ex epistola Corneliae Gracchorum matris et ex Cornelio Nepote excerpta in eo codice traditum fuit. Haec fragmenta quin genuina essent cum antiquiorum nemo praeter Schottum dubitasset, primus Heerenius opusc. hist. p. 94, deinde Langius in silvulis Portensibus, quae et in actis seminarii regii et societatis philologicae Lipsiensis a Beckio editis vol. I part. II p. 174 sqq. et in Langii opusculis leguntur, novissime Mercklinus in libro quem de Corneliae Gracchorum matris vita, moribus, epistolis scripsit, edito Dorpati anno MDCCLXIV, argumenta protulerunt quibus illa non a Cornelia sed a falsario composita esse comprobaretur. Atque horum sententiam recentiorum alii secuti sunt, alii reiecerunt, alii utrum probarent an improbarent dubitarunt; qui argumenta ab illis prolata refelleret nemo inventus est. Itaque cum de excellentibus ducibus exterarum gentium, Catone, Attico fragmentisque a Iacobo Friderico Heusingero primum editis ita a superioribus disputatum sit ut, quamquam non omnia argumenta probem quibus haec a Cornelio Nepote scripta esse defensum est, tamen quid de summa quaestione iudicandum sit nemo dubitare posse neque, si qui dubitent, operae pretium facturus videatur qui retractata quaestione horum dubitationes tollere studeat, his omissis causae a superioribus desertae patrocinium suscipiendum visum est, ut duo illa epistolarum fragmenta et a Cornelia scripta et a Nepote relata existimari debere demonstrarem. Quamquam unus ex adversariis nostris, Mercklinus, neque illam quaestionem quam nos satis pertractatam iudicavimus absolutam putavit et hanc de epistolis Corneliae ita cum illa coniunctam ut donec illa ad certum exitum perducta esset de hac iudicium suspendendum videretur. Quod cum ita ille existimaret, miramur sane eum de epistolis Corneliae scribere sustinuisse, priusquam quid de excellentibus ducibus exterarum gentium, Catone, Attico iudicandum esset teneret. Nos vero, etiamsi hos tres libros a Nepote non scriptos esse constaret, nihil tamen inde effici putarem quominus epistolarum fragmenta et a Cornelia

scripta et a Nepote relata viderentur. Quid enim? si codicum testimonium in compluribus rebus falsum esse convincitur, inde tu efficias nihil his omnino esse credendum? Nova vero artis praecepta! At ea quae ratio comprobatur in nulla re codicum auctoritati non credi iubent nisi in qua non posse credi fuerit evictum. Itaque id unum nobis dispiciendum est utrum ea quae codices a Cornelia scripta esse tradunt ab ea potuerint scribi an non potuerint. Si non potuisse ab illa scribi non fuerit demonstratum, codicum auctoritati credendum est; si fuerit demonstratum, tum ne id quidem codicibus credemus apud Nepotem haec fuisse posita. Nam si non essent a Cornelia scripta, ut tamen possent apud Nepotem posita fuisse, aut ab ipso Nepote historicorum more composita aut fraudulenter ab alio conficta ab illo pro genuinis relata videri deberent. Prius verum non esse ipsa fragmenta evincunt, quae oratione a Nepotis genere longe diversa et antiquioris temporis propria scripta sunt; de altero quid statuendum sit apparebit cum quae ab aliis scriptoribus de Corneliae epistolis tradantur exposuerimus.

Nepotis enim aetate genuianas Corneliae epistolas et superfuisse et lectas esse Cicero ostendit, qui Brut. 58, 241 haec scribit: *Legimus epistolas Corneliae matris Gracchorum: apparet filios non tam in gremio educatos quam in sermone matris. Sed inferiore tempore qui eas legerit de nullo sane certo testimonio relatam est. Quintilianus enim cum 1. 4, 6 haec scriberet: Gracchorum eloquentiae multum contulisse accepimus Corneliā matrem, cuius doctissimus sermo in posteros quoque est epistolis traditus, Ciceronem auctorem videtur secutus, neque si ipse epistolas legisset, accepisse se diceret quod apparere ex epistolis poterat. Plutarchus vero se his non esse usum ipse docet C. Gracch. c. 13 his verbis: Ἐνταῦθα καὶ τὴν μητέρα λέγουσιν αὐτῶν συστασιάσαι μισθομένην ἀπὸ τῆς ξένης κόρυφα καὶ πέμπουσαν εἰς Ῥώμην ἄνδρας ὡς δὴ θεριστάς. ταῦτα γὰρ ἐν τοῖς ἐπιστολίοις αὐτῆς ἠυγμένα γεγρασθῆναι πρὸς τὸν υἱόν. Ἐτεροὶ δὲ καὶ πάντῃ τῆς Κορνηλίας δυσχεραίνουσης ταῦτα πρῶτασθαι λέγουσιν.* Superest Charisii locus p. 76 P., quo nunc quidem nihil de Corneliae epistolis traditur, sed traditum olim fuisse Lindemannus suspicatus est. Is est huiusmodi: *Heres, parens, homo, etsi in communi sexu intellegantur, tamen masculino genere semper dicuntur. Nemo enim aut secundam heredem dicit aut bonam parentem aut malam hominem sed masculine, tametsi de femina sermo habeatur. Nam Marcus ait Heredes ipsus secundus, et Pacuvius in Medo, cum ostenderet a*

Medo matrem quaeri, ait Te Sol invoco ut mihi potestatem dvis inquirendi mei parentis. Sed Gracchus Suos parentes amat, cum dicit in significatione matris, et in alia epistola Tuus parens sum ait, cum de se loqueretur. Et apud Vergilium sic legimus Ecqua tamen puero est amissae cura parentis? Hic Lindemannus utrumque locum qui Graccho tribuatur ex epistolis matris Corneliae desumptum affirmat. Cuius rei neque in ipsis verbis ulla significatio est, neque perspicio quemadmodum ita emendari possint ut id quod Lindemannus suspicatus est significant. Nam quin corrupta sint non dubito neque Mercklino assentior, qui ita defendit ut priore loco Gracchum matrem nescio cuius significasse, altero se ipsum matris parentem dixisse putet; scite autem haec exempla a Charisio delecta existimat quibus eundem hominem et de mare et de femina masculino genere usum esse demonstraret: neque Meyerus ad fragm. orat. p. 127 ed. pr. recte priorem locum eodem modo atque Mercklinus interpretatus est, alterum a femina scriptum putavit, quod fieri non potest nisi ante verba et in alia epistola excidisse nonnulla statuimus. Sed plurali numero non potest una mater significari, et inepte exemplis comprobatur parentem masculino genere poni cum de patre dicatur, de qua re nemo dubitabat. Deinde particula sed ita demum recte poneretur si id exemplum quod ex Graccho affertur alius generis esset atque superiora, hoc est si Gracchus parentem de muliere feminino genere posuisset, neque aliter particula et tolerari potest qua Vergilii exemplum adiungitur. Postremo ne illa quidem cum dicit in significatione matris recta sunt: neque enim quid dixisset omitti poterat. Verum quomodo illa verba corrigenda sint eo difficilium definitur quod ipse Charisius minus recte haec tractasse videtur, si quidem, cum supra parentem umquam feminino genere poni negasset, in fine eius rei exemplum ex Vergilio attulit.

Sed testimonia a nobis proposita quamquam non refragantur quominus genuinae Corneliae epistolae mature intercidisse et cum intercidissent suppositiciae compositae esse videantur, haec tamen post Nepotis demum tempora fieri potuisse evincunt. Itaque si Nepos verba de quibus agimus Corneliae esse retulit, quin ea ex ipsius Corneliae epistolis petita fuerint dubitari non potest. Non abhorruisse autem ab historicorum Romanorum consuetudine ut ipsas aliorum hominum epistolas, non a se illorum nomine compositas referrent demonstrandum non existimarem, nisi minus recte a Mercklino (p. 30) de hac re disputatum viderem. Nullum ille huius rei exemplum protulit. Nam Lentuli litteras ad

Catilinam a Sallustio Cat. 44 non iisdem verbis esse relatas quibus a Lentulo erant scriptae Cic. Cat. III. 5, 12 demonstrat, neque reliquae epistolae a Mercklino commemoratae, C. Fabricii et Q. Aemilii ad Pyrrhum ex Claudio Quadrigario apud Gell. III. 8, Pompeii ad senatum et Mithridatis ad Arsacem ex Sallustii historiis, quibus addere poterat Catilinae ad Q. Catulum Cat. 35, Scipionis ad Micipsam Iug. 9, Adherbalis ad senatum Iug. 24 ab eodem Sallustio positas et Themistoclis ad Artaxerxen, Pausaniae ad Xerxen a Cornelio Nepote Them. 9, 2. Paus. 2, 3 ex Thucydide versas, ne hae quidem igitur quin ab historicis compositae sint dubium est. Neque ego me apud eos qui perpetuas historias composuerunt ulla litteras eorum verbis a quibus scriptae dicuntur relatas legere memini (nisi quod de iis quae apud rudem scriptorem b. Hisp. 49, 4 et 26, 4 inveniuntur nihil affirmo), ita ut qui in hoc genere artem sequerentur ab hac alienum existimasse videantur ut huiusmodi epistolas interponerent. At ex iis qui vitas scripserunt qui unus praeter Nepotem ex flore litterarum Latinarum aetatem tulit, Suetonius Tranquillus, et ex aliorum et ex permultis Augusti epistolis ipsorum verba posuit. Idem igitur Nepotem sibi licere existimasse non mirabimur.

Magis vero ad nostram quaestionem pertinet ut, si genuina sint illa Corneliae fragmenta, quo loco a Nepote fuerint posita definiatur, cum quae in codicibus de hac re traduntur probari non possint. Nam in codice Danielino fragmentis illis hic index praemissus fuit: *Verba ex epistola Corneliae Gracchorum matris ex libro Cornelii Nepotis de Latinis historicis excerpta*, neque aliter interpretari licet quae in Guelpherbyitano leguntur: *Verba ex epistola Corneliae Gracchorum matris ex eodem libro Cornelii Nepotis excerpta*, cum quae ante haec fragmenta legitur vita Catonis ex libro de historicis Latinis excerpta dicatur. Reliqui codices quorum aliqua auctoritas est, Ottobonianus, Faesulanus, Urbinas, Savaronis, collegii Romani, et Corneliae haec fragmenta esse et ex Cornelio Nepote excerpta referunt, librum Nepotis unde desumpta sint non significant. Atque fuisse librum Cornelii Nepotis de Latinis historicis, unum ex corpore de viris illustribus, miror Mercklino (p. 37) non satis certo constare visum esse, quippe de quo non a vetere scriptore sed codicum tantum auctoritate traditum esset. Quid enim? quae apud veteres scriptores leguntur quorum testimonium desiderat Mercklinus qua tandem auctoritate praeter perpauca nisi codicum tradita sunt? Nos vero non aeris aut lapidis auctoritatem expectabimus, sed cum et in

indicibus Attici et Catonis et initio fragmentorum ab Iacobo Friderico Heusingero inventorum hic liber commemoretur et Dion. 3, 2 alter de Graecis historicis cui illum subiectum fuisse necesse est et Gellius xi. 8 ex Nepotis opere de viris illustribus nonnulla referat quae alio loco nisi in alteroutro volumine de historicis posita fuisse non verisimile est, his testimoniis omnem dubitationem exclusam esse iudicabimus. Sed recte Bardilius vol. 1 p. cvi ed. Stutg. negavit in libro de historicis Latinis haec Corneliae fragmenta de quibus agimus a Nepote collocari potuisse. Nam mulieri Corneliae nullus omnino locus erat in opere de viris illustribus. Itaque fragmenta illa, si a Nepote sunt relata, in C. Gracchi vita posita fuisse necesse est, de quo Nepotem scripsisse Plutarchus Ti. Gracch. 24 testatur. Atque hunc quidem librum argumenti historici, commentarium quendum, ut arbitror, de Tiberio fratre et fortasse de se ipso, composuisse recte Mercklinus (p. 37) Plutarchi testimonio demonstrari monuit, qui Ti. Gracch. c. 8 haec refert: Ὁ δ' ἀδελφὸς αὐτοῦ Γάϊος ἐν τινὶ βιβλίῳ γέγραπεν εἰς Νομαντίαν πορευόμενον διὰ τῆς Τυρρηνίας τὸν Τιβερίον καὶ τὴν ἐρημίαν τῆς χώρας ὄρωντα καὶ τοὺς γεωργοῦντας ἢ νέμοντας οἰκέτας ἐπεισάκτους καὶ βαρβάρους τότε πρῶτον ἐπὶ νοῦν βαλέσθαι τὴν μυρίων κακῶν ἄρξασαν αὐτοῖς πολιτείαν. Et ad eundem librum refero quae apud Ciceronem de div. 1. 48, 36 leguntur: *Ti. Gracchus — nonne, ut C. Gracchus, filius eius, scriptum reliquit, duobus anguibus domi comprehensis haruspices convocavit? qui cum respondissent, si marem emisisset, uxori brevi tempore esse moriendum, si feminam, ipsi, aequius censuit se maturam oppetere mortem quam P. Africani filiam adolescentem: feminam emisit; ipse paucis post diebus est mortuus et eiusd. op. 11. 29, 62: C. Gracchus ad M. Pomponium scripsit duobus anguibus domi comprehensis haruspices a patre convocatos, post quae interiectis nonnullis haec adduntur: Nihil scribit respondisse haruspices, si neuter anguis emissus esset, quid esset futurum.* Haec Meyerus (fragm. orat. p. 249 ed alt.) in epistolis C. Gracchi posita fuisse iudicavit: epistolae autem Gracchi, incertum utrius, nusquam nisi illo Charisii loco commemorantur quem supra gravissimis dubitationibus obnoxium esse vidimus. At hanc rem Pomponio, familiarissimo C. Gracchi, cuius fugam tegens interfectus est, tam diu ignotam fuisse ut amico in epistola ad eum perscribenda videretur nequaquam verisimile est. Sed quamquam librum argumenti historici a C. Graccho scriptum esse constat, tamen incredibile est quod Mercklino videtur fieri potuisse, ut vita eius a Nepote

in libro de historicis Latinis poneretur. Nemo enim unquam C. Gracchum in historicorum numero posuit, omnes, ut par erat, in oratorum. Itaque ne de Nepote quidem dubitari potest quin eius vitam in libro de oratoribus Romanis retulerit. Quod si quaerimus qui factum sit ut fragmenta Corneliae in codicibus non ex hoc, sed ex libro de historicis Latinis excerpta dicerentur, equidem existimo antiquitus ante illa aut unum aut plura excerpta ex libro de oratoribus Romanis posita et fragmentis Corneliae eundem indicem praefixum fuisse qui in Guelpherbyitano codice legitur; qui index utrum in hoc codice ex archetypo servatus an brevitatis studio ei qui in Danielino est substitutus sit non definitio. Atque si vera sunt quae editionis meae p. xviii de ordine librorum de viris illustribus scripsi, excerpta ex oratoribus Romanis olim ante excerpta ex historicis Latinis posita fuerunt; et in codice archetypo ordinem excerptorum perturbatum fuisse demonstrat quod in omnibus fere codicibus de quibus constat Atticus ante Catonem positus est. Sed cum reliqua excerpta ex oratoribus Romanis perissent, fragmenta Corneliae autem post Catonem collocata essent, idem liber Cornelii Nepotis ex quo haec desumpta dicebantur liber de historicis Latinis visus et hic aut in Danielino aut in archetypo pro illo positus est. Quod si in hac re codicibus fides neganda est, propterea de reliquis quae in indice supra relato leguntur dubitare non licere non est quod moneam. Haec utrum vera sint necne ea docebunt quae iam de ipsis fragmentis disputabimus. Quam disputationem priusquam aggredieremur ipsa verba de quibus agitur subiicere visum est. Nam post indicem de quo diximus haec in codicibus scripta sunt :

Dices pulchrum esse inimicos ulcisci. Id neque maius neque pulchrius cuiquam atque mihi esse videtur, sed si liceat re publica salva ea persequi. Sed quatinus id fieri non potest, multo tempore multisque partibus inimici nostri non peribunt atque uti nunc sunt erunt potius quam respublica profligetur & atque pereat.

Eadem alio loco.

- 2 *Verbis conceptis deierare ausim praeterquam qui Tiberium Gracchum necarunt neminem inimicum tantum molestiae tantumque laboris quantum te ob has res mihi tradidisse; quem oportebat omnium eorum quos antehac habui liberos partis eorum tolerare atque curare ut quam minimum sollicitudinis in senectate haberem utique quaecumque ageres ea velles maxime mihi placere atque uti nefas haberes rerum maiorum adversum meam*

sententiam quicquam facere, praesertim mihi cui parva pars vi-
 3 tae superest. Ne id quidem tam breve spatium potest opitulari
 quin et mihi adversere et rem publicam profliges? Denique quae
 pausa erit? Ecquando desinet familia nostra insanire? ecquando
 modus ei rei haberi poterit? ecquando desinemus et habentes et
 praebentes molestiis insistere? ecquando perpudescet miscenda
 4 atque perturbanda re publica? Sed si omnino id fieri non potest,
 ubi ego mortua ero petito tribunatum; per me facito quod lubebit
 cum ego non sentiam. Ubi mortua ero parentabis mihi et invoca-
 bis deum parentem. In eo tempore non pudet te eorum deum pre-
 ces expetere quos vivos atque praesentes relictos atque desertos
 habueris. Ne ille sirit Iuppiter te ea perseverare nec tibi tantam
 dementiae venire in animum! Et si perseveras, vereor ne in om-
 nem vitam tantum laboris culpa tua recipias uti in nullo tempore
 tute tibi placere possis.

In his uno loco codicis archetypi scripturam mutavimus, § 3,
 ubi *molestiis insistere* posuimus, cum in codicibus scriptum esset
molestiis desistere. Hoc vero non desinendum sed incipiendum
 Corneliae videbatur. Propius ad codicum scripturam accedit
 Rutgersii *desipere* aut quod alicui in mentem veniat *resistere*; sed
 neutrum sententiae accommodatum esse apparet. *Insistere* autem
molestiis est *molestias persequi, non omittere*; eamque coniecturam
 ita tueor ut primam syllabam verbi *insistere* propter ultimam su-
 perioris vocabuli excidisse et perverse suppletam esse putem.

Iam ea quae §§ 1. 2. 4 leguntur demonstrant haec aut scripta
 esse aut scripta fingi ad C. Gracchum cum is primum tribuna-
 tum peteret, id quod factum est a. u. 630, a. Ch. 424. Quo mag-
 nis miror Mercklinum (p. 43) epistolam ita comparatam dixisse
 ut ad alterum quoque tribunatum et fortasse melius referri pos-
 set, neque tamen id fieri posse, cum Plut. C. Gracch. 8 traderet
 alterum tribunatum C. Gracchi non petenti a populo delatum
 esse; qua ambiguitate fidem epistolae labefactari neminem non
 videre. Quibus nihil equidem perversius me legere memini. Qui
 enim Mercklino ambiguum videri potuit ad quod tempus epistola
 esset referenda, cum quare ad alterum tribunatum referenda
 videretur nullam causam neque attulisset neque afferre posset,
 quare non posset referri ipse argumentum poneret? Quamquam
 mihi quidem non eo argumento quod Mercklinus attulit sed iis
 quae in ipsa epistola leguntur eam ante primum C. Gracchi tri-
 bunatum scriptam esse comprobatur. Nam et quae § 4 scripta
 sunt C. Gracchum inimicos ulcisci velle, nondum ultum esse

quemquam ostendunt, neque quae § 4 leguntur post primum tribunatum scribi potuerunt nulla mentione illata filium iam antea fecisse quod ne faciat tantopere mater dissuadet. Verum ut maxime ambiguum esset quo tempore epistola esset scripta, quam inepte Merklinus ea re fidem epistolae labefactari dixit! Quot Ciceronis, Plinii, Frontonis epistolae quo tempore scriptae sint dubium est! De his igitur omnibus num genuinae sint dubitabit Merklinus? Non faciet profecto, et recte quidem, nisi forte iis qui epistolas scribunt non id solum agendum putat ut is ad quem mittuntur, sed omnes in quorum manus casu aliquo pervenire possunt quo tempore scriptae sint sciant.

Quod si certum est verba de quibus agimus non potuisse a Cornelia scribi nisi anno 630, iam primum occurrit Heerenii argumentum, qui verisimile esse negavit Corneliam eo tempore litteras ad filium misisse, quippe quae Romae una fuisset. At Corneliam eo tempore Romae affuisse non solum demonstrari non posse, sed longe verisimilius videri eam non affuisse iam Mercklinus (pp. 43 et 38) monuit allatis iis quae Orosius scripsit v. 12: *Caput Gracchi excisum consuli allatum est, corpus ad Corneliam matrem Misenum oppidum devectum est. Haec autem Cornelia, Africani maioris filia, Misenum post prioris filii mortem secesserat.* Neque his refragari quae apud Ciceronem de orat. iii. 56, 214 legantur recte idem Mercklinus statuit. Ibi Cicero Crassum haec loquentem facit: *Quid fuit in Graccho, quem tu melius, Catule, meministi, quod me puero tantopere ferretur? Quo me miser conferam? quo vertam? in Capitoliumne? at fratris sanguine redundat. An domum? matremne ut miseram lamentantem videam et abiectam? Quae sic ab illo acta esse constabat oculis, voce, gestu, inimici ut lacrimas tenere non possent.* Recte haec a C. Graccho dici potuisse negant nisi mater Romae affuisset: sed de tempore quo dicta sint nihil constat. Itaque sive Mercklinum sequimur, qui admodum probabiliter ipsis verbis demonstrari dixit haec statim post Tiberii Gracchi caedem recenti matris dolore esse dicta, cum illa nondum Misenum discessisset, sive alio tempore dicta existimamus quo mater incertum qua de causa Romam venerit, nequaquam inde effici potest Corneliam per totum annum 630 Romae commorata esse neque per litteras filium a petitione tribunatus dehortari potuisse.

Sed ipse Mercklinus huic Heerenii argumento, quod recte refutavit, aliud eiusdem generis substituit, quod si verum esset, statim tota causa quam suscepimus esset abiicienda. Iactavit

enim (p. 46), si genuina essent fragmenta, non dubium esse quin ea quae ab aliis de rebus Gracchorum traderentur insigniter essent auctura; sed ita esse comparata ut ad ea concinnanda Plutarchi vitae Gracchorum sufficerent. Haec recte disputata essent, si integrum volumen epistolarum quae Corneliae esse dicerentur ad nos pervenisset. At paucis his verbis nihil magni momenti de illis temporibus nos doceri is tantum mirari potest qui ignorat quot sint inter Ciceronis epistolas ex quibus nihil quod ad historiam pertineat cognoscamus. Quamquam neque Plutarchus neque quisquam eorum scriptorum qui supersunt narrat Corneliam consilia filiorum improbasse; quod mihi quidem satis cognitione dignum videtur.

At hoc ipsum verum esse Heerenius et Langius negaverunt. Quorum ille ex Plut. C. Gracch. 4 apparere dixit matrem C. Gracchi conatus non ita improbasse ut faceret is qui epistolarum fragmenta scripsisset, sed id unum egisse ut vehementem impetum filii leniret, ipsam vero populi gratiam retinuisse; Langius adiecit eundem Plutarchum C. Gracch. 43 docere Corneliam a Gaii consiliis aut non fuisse alienam aut non omnibus esse visam. Haec recte iam Mercklinus p. 38 sq. reiecit. Nam cum duo scriptores supersint qui et res Gracchorum uberius persecuti sint et, si ab his fragmentis de quibus agimus discesseris, soli aliqua ex parte significant quid de illis rebus Cornelia senserit, Plutarchus et Appianus, cum neuter horum ea fide sit atque auctoritate ut, si quae apud alios tradantur ab eorum narratione discrepantia, falsa existimari debeant, eo argumento quod ab illis scriptoribus de iisdem rebus alia atque in his fragmentis referantur haec commenticia esse omnino comprobari non potest. Sed mihi de hac re ita statuendum videtur: Corneliam causam quidem quam filii suscepissent et ipsam optimam et optima mente ab illis susceptam iudicasse, in qua sententia et matrem fuisse consentaneum est et hodie omnes fere esse arbitror; consilia autem filiorum quod illam causam et suscepissent et agerent adeo improbasse ut vehementius commotae insanire filii viderentur (fr. § 3), quippe quibus consiliis et rem publicam misceri atque perturbari et ipsos filios ad perniciem trahi intellexeret. Huic sententiae non refragantur quae a Plutarcho et Appiano relata sunt nisi quae per se ipsa omni veritatis specie sunt destituta. Et Appianus quidem b. civ. i. 20 ubi de morte P. Scipionis Aemiliani refert haec scribit: *νεκρὸς ἀνευ τραύματος εὐρέθη εἴτε Κορνηλίας αὐτῷ, τῆς Γράκχου μητρὸς, ἐπιθεμένης, ἵνα μὴ ὁ νόμος ὁ Γράκχου λυθείη, καὶ συλ-*

λαβούσης ἐς τοῦτο Σεμπρονίας τῆς θυγατρὸς — εἶτε cett. Quo loco nemo eorum usus est qui fragmenta impugnarunt. Quod si consilio fecerunt, laudo. Pessimo enim auctore de Cornelia usum esse apparet qui foedissimi facinoris crimen vel dubitanter in eam coniiicere potuerit quam reliqui omnes scriptores summis laudibus virtutis prosecuti sunt. Quamquam id quidem quod Corneliam Ti. Gracchi legem tolli noluisse tradit, si meliore auctore eum tradidisse constaret, neque per se ipsum reiiciendum esset neque a nostra sententia abhorreret, cum quae illam legem ferri noluisset, ne res publica perturbaretur, eandem re publica iterum perturbata tolli et filii sanguinem nequiquam esse profusum noluisse veri non sit dissimile. Ex Plutarcho autem miror adversarios nostros non protulisse quae ille C. Gracch. 19 scribit: ἡ Κορνηλία λέγεται τὰ τ' ἄλλα τῆς συμφορᾶς εὐγενῶς καὶ μεγαλοψύχως ἐνεργεῖν καὶ περὶ τῶν ἱερῶν ἐν οἷς ἀνηρέθησαν εἰπεῖν ὡς ἀξιόους οἱ νεκροὶ τάφους ἔχουσιν. Sed haec recte Corneliam dicere potuisse apparet cum in ea sententia esset in qua nos eam fuisse iudicavimus. Idem Plutarchus de Tiberii conatibus quid mater sensisset nihil retulit, nisi forte Ti. Gracch. 8 referri aliquid putamus ubi nonnullos Corneliam accusasse narrat in causa fuisse cur Tiberius ea quae in tribunatu gessit aggredereatur *πολλάκις τοὺς υἱοὺς ὀνειδίζουσαν ὅτι Ῥωμαῖοι Σκηπίωνος αὐτὴν ἔτι πενθεράν, οὐπω δὲ μητέρα Γράκχων προσαγορεύουσιν*, quibus illa verbis ut generosam feminam decuit claros filios se habere velle, quibus rebus inlarescerent nihil significavit. De Gaii autem inceptis quid Cornelia iudicasset duobus locis significavit. Plutarchus quibus Heerenius et Langius usi sunt. Quorum priore, C. Gracch. 4. cum narrasset in primo tribunatu Gaium duas leges promulgasse, quarum altera sanciebatur ne cui honores capere liceret cui populus magistratum ademisset, qua perlata M. Octavius a petitione honorum esset remotus, de hac lege haec adiecit: τὸν ἕτερον νόμον Γάϊος αὐτὸς ἐπανεῖλετο φήσας τῇ μητρὶ Κορνηλία δεηθεῖσθαι χαρίζεσθαι τὸν Ὀκταούϊον. Καὶ ὁ δῆμος ἠγάσθη καὶ συνεχώρησεν τιμῶν τὴν Κορνηλίαν οὐδὲν ἦττον ἀπὸ τῶν παίδων ἢ τοῦ πατρὸς, ἧς γε καὶ χαλκῆν εἰκόνα στήσας ὕστερον ἐπέγραψε Κορνηλίαν μητέρα Γράκχων. Quo loco mire Heerenius demonstrari putavit non ipsos Gaii conatus, sed vehementem eius impetum a matre esse improbatum. Qui enim inde quod Plutarchus legem illam Corneliae displicuisse refert effici potest reliquarum rerum quae filius agebat quicquam matri placuisse? Nisi forte quae Plutarchus facta esse non tradit ea non facta esse statuendum est. Neque eo quod Corneliam apud populum grati-

osam fuisse Plutarchus refert demonstratur eam filiorum consilia non improbasse. Gratosam fuisse Plutarchus dicit per patrem et filios, quorum consiliis eam adversari sive sciebat populus sive nesciebat, causa non erat quo minus eam gratam haberet quam neque odio populi ita sentire neque ob eam rem minus eam esse filiis intellexeret. Altero loco, C. Gracch. 13, Plutarchus postquam retulit Gaium se comparasse, ut Opimio consuli resisteret, haec scribit: *Ἐνταῦθα καὶ τὴν μητέρα λέγουσιν αὐτῷ συστασιάσαι μισθουμένην ἀπὸ τῆς ξένης κούφα καὶ πέμπουσιν εἰς Ρώμην ἄνδρας ὡς δὴ θεριστάς· ταῦτα γὰρ ἐν τοῖς ἐπιστολίαις αὐτῆς ἤνυγμένα γεγράφαι πρὸς τὸν υἱόν. Ἐτεροι δὲ καὶ πάντῃ τῆς Κορνηλίας δυσχεραίνουσης ταῦτα πράττεσθαι λέγουσιν.* Hic ut concedamus eos qui Gaium adiutum esse a Cornelia tradebant epistolis Corneliae usos esse, id quod nequaquam certum est, qui demonstrabitur recte eos illa quae *ἤνυγμένα* erant scripta interpretatos esse? In tam dubia re quis neget iis potius fidem esse habendam qui invitissima Cornelia ea quae Gaius tum agebat acta esse affirmabant? Sed nos ut faciles simus causae quam suscepimus bonitas facit. Non repugnabimus quominus recte illi retulerint qui se epistolas Corneliae sequi contendebant. Quid tum? num inde Corneliā Gaii consilia probasse efficitur? Minime id quidem. Poterat enim illa omnia quae Gaius et egerat et agebat improbare et tamen materno amore victa in iis rebus adiuvare filium sine quibus eum non posse salvum esse iudicaret. Id vero recte fecisse Langium quod antiquos scriptores dissensisse statuit utrum Cornelia filiorum consilia improbasse an probasse existimanda esset non solum non negamus, sed ad hunc dissensum tollendum Nepotem fragmenta illa de quibus agimus ex Corneliae epistolis retulisse iudicamus.

Apertius autem iis quae in fragmentis scripta essent Langio repugnare visa sunt quae Plutarchus C. Gracch. 19 de Cornelia tradit qualis post interitum filiorum fuerit: *θαυμασιωτάτη τῶν παίδων ἀπενθῆς καὶ ἀδάκρυτος μνημονεύουσα καὶ πάθη καὶ πράξεις αὐτῶν ὡσπερ ἀρχαίων τιῶν ἐξηγουμένη τοῖς πυνθανομένοις*: quibus similia refert Seneca cons. ad Helv. 16 et ad Marc. 16. Illo vero Plutarchi loco proposito Langius haec subiecit: 'Iam quales', inquit, 'nobis Corneliae mores secundum haec fragmenta informemus, si ex ea audiamus nihil esse neque maius neque pulchrius cuiquam quam inimicos ulcisci, si quae tam magnifice et ambitiose de republica sentit filium increpat quod conatibus suis perturbet sibi reliquam vitae partem in tranquillitate degendam,

si eidem permittit quodcumque libuerit vel adversus rem publicam facere modo se mortua et nihil sentiente. Scilicet hae sunt voces sanctissimae matronae quae et adversos casus filiorum et facinora ut antiquorum hominum percontantibus enarrarit. Obscurius hæc disputata sunt quam ab eo expectares qui in fragmentis quae aperte illis Plutarchi verbis repugnarent invenisse sibi visus esset. Sed videtur Langius existimasse ea quae fragm. § 2 et 4 legerentur et aliena esse ab eo animo quo Corneliam post mortem filiorum fuisse Plutarchus referret et iis repugnare quae § 4 de ultione inimicorum legerentur, haec omnia autem abhorre a moribus generosae feminae, qualis quin Cornelia fuerit non est dubium. De his igitur singillatim dispiciemus. Ac primum quidem Corneliam morte Tiberii gravissimum dolorem accepisse et summa sollicitudine Gaii conatus qui unus ex filiis supererat persecutam esse omnes, ni fallor, existimaremus, etiamsi non ipsum Gaium illo loco quem supra (p. 91) attulimus *matrem miseram lamentantem et abiectam* commemorasse accepissemus. Neque hæc iis repugnant quae a Plutarcho et Seneca de magno Corneliae animo referuntur quo interitum filiorum tulerit, nisi forte cum magnum animum putamus qui brutorum est, ut nihil sentiant. Hunc dolorem atque hanc sollicitudinem cum ita vinceret ne alieni sentirent, num quid generosissima femina indignum fecit si filium non celavit? At indignum est generosa femina postulare a filio ne quid faciat unde sollicitudo aliqua ad eam pervenire possit. Audio. Sed ubi id in his fragmentis factum est? Id a filio postulatur ut curet ut quam minimum sollicitudinis mater in senectute habeat, hoc est, si quis minus Latine sciat, quam minimum possit. Hæc cum Cornelia ad filium scriberet, non verebatur ne ille se omnem sollicitudinem deprecari existinaret, sed ita suos mores filio perspectos esse confidebat ut eam sollicitudinem quae ex recte factis filii ad matrem perventura esset eam se non posse non habere iudicaturam et aequo animo toleraturam sciret. Non minore calumnia Langius ea reprehendit quae § 4 leguntur. Neque enim Cornelia filio permittit ut cum mortua sit rem publicam perturbet, sed ita permittit si omnino fieri non possit ut conatibus desistat. Quam condicionem cum adicit satis significat se ne tum quidem illud fieri velle, sed necessitati cedit ut id saltem impetret ne ipsa illud fieri videat. Nihil igitur horum aut ab Corneliae moribus abhorret aut iis repugnat quae § 4 scripsit, nemini neque maius neque pulchrius videri inimicos ulcisci quam sibi, sed si hoc re publica salva facere liceat; quo loco Langius

perverse illa cuiquam atque mihi cum verbo esse coniunxit, quae cum videtur coniungenda esse apparet. Hanc autem sententiam de ultione inimicorum Romanis probatam fuisse recte iam Mercklinus monuit. Ne credamus anui Terentianae apud metriculam servienti, quae Hec. i. 4, 15 mirabunda quaerit *Iniurium autem est ulcisci adversarios?* ne Valerius Maximus quidem satis idoneus auctor existimetur, cuius haec verba ascripsit Mercklinus ex ix. 10 in.: *Ultionis quemadmodum acres ita iusti aculei sunt qui lacessiti concitantur acceptum dolorem pensare cupientes*, Cicero de off. iii. 49, 76 docet eum virum bonum esse qui prosit quibus possit, noceat nemini nisi lacessitus iniuria et p. Mur. 24, 44 *Quid ergo? inquit, acceptam iniuriam persequi non placet? Immo vehementer placet* et ad Q. fr. iii. 6, 4 scribit *Angor inimicos a me partim non oppugnatos partim etiam esse defensos, meum non modo animum, sed ne odium quidem esse liberum*, unde vel ignominiosum fuisse intellegimus inimicos non ulcisci. Sed cum ita sentirent Romani, summi tamen in re publica viri non minus quam Cornelia rei publicae inimicitias condonandas putaverunt. Itaque idem Cicero de prov. cons. 18, 44 *Ego vero, inquit, si mihi non licet per aliquos ita gloriari me dolorem atque inimicitias meae rei publicae concessisse, quod magni cuiusdam hominis et persapientis videtur, utar hoc, quod non tam ad laudem adipiscendam quam ad vitandam vituperationem valet, hominem me esse gratum*, et Pompeius ap. Caes. b. civ. i. 8, 3 monet: *Caesarem pro sua dignitate debere et studium et iracundiam suam rei publicae dimittere neque adeo graviter irasci inimicis ut, cum illis nocere se speret, rei publicae noceat* atque id ipsum a se et factum esse et fieri Caesar c. 9 respondet. Confecta res esset, nisi Mercklinus, cum in nostram sententiam disputasset, conclusiunculam aliquam adiecisset qua haec nequiquam disputata esse efficeretur. Recte negavit ille Appiano fidem habendam esse qui unus b. civ. i. 20 suspicionem iacit caedem P. Africani minoris a Cornelia esse perpetratam. Sed quid hoc ad rem? *‘Mores Corneliae’*, inquit p. 41, *‘si caedis suspicione vacant, ne ulciscendi quidem cupiditatem ferunt.’* O acutum hominem! Non colligam hoc loco nullas tantas iniurias Scipionem Corneliae aut eius filiis intulisse ut morte dignus videri posset, non disputabo affinitatem vel iustam ultionem cohibere debuisse, eundem Ciceronem audiamus cui inimicos non ulcisci ignominiosum visum esse demonstravimus p. Lig. 4, 11 haec dicentem: *Hoc egit civis Romanus ante te nemo; externi isti mores usque ad sanguinem incitari odio, aut levium Grae-*

corum aut immanium barbarorum. Atque his verbis ille Tuberonem increpat cum is iudicio Ligarium oppugnaret, tu nobis non concedes Corneliae ultionem inimicorum expetendam esse visam nisi eam inter sicarios damnandam fuisse demonstramus?

At confessum se falsarium tenere Langius opinatus est deprehensus quae ille manifesta fraudis indicia incautus effudisset. 'Vehementer enim', inquit, 'personatae suae Corneliae oblitus est, cum eam scribentem faceret *qui Tiberium Gracchum necarunt* (§ 2). Vera enim mater filio scribens fratrem, opinor, Tiberium tantum nominasset. Et cuius notae ista sunt (§ 3): *ecquando desinet familia nostra insanire?* Quenam familia? num Tiberius familia est?' Horum alterum recte Mercklinus (p. 43) refutavit. Apertum est enim Gaium quoque matri insanire visum esse, cum tribunatum peteret, quod quin eo consilio faceret ut fratris incepta persequeretur non poterat dubitari. Prius vero idem Mercklinus (p. 42) tanto verius Langium reprehendisse iudicavit quod C. Gracchus (ap. Charis. p. 214 P., ap. Meyer. p. 228) dixisset *Pessimi Tiberium fratrem meum optimum interfecerunt* et (ap. Schol. Bob. p. 365 Or., ap. Meyer. p. 234) *cum fratrem propter vos amissem nec quisquam de P. Africani et Ti. Gracchi familia nisi ego et puer restaremus.* Itane vero? si C. Gracchus fratrem nomine non appellavit, inde efficitur aut ab ipso fratrem aut a Cornelia filium ita appellari non potuisse? At potuisse ipsa C. Gracchi verba a Mercklino allata demonstrant. Neque enim video quid intersit utrum filius patrem an mater filium nomine appellat. Atque quod magis mirum videatur Mercklino, se ipsi homines nomine appellant, non solum cum secum tamquam cum alio colloquuntur aut alium de se dicere fingunt, sed etiam cum neutrum horum significare volunt. Notum est illud Aemilii Scauri: *Q. Varius Sucionensis ait Aemilium Scaurum rem publicam populi Romani prodidisse; Aemilius Scaurus negat,* et Cicero Phil. II. 28, 70 Antonium crebro de se usurpasse dicit *et consul et Antonius.* Ego vero non putaveram quemquam ignorare eo consilio homines et se ipsos et proxima affinitate coniunctos eodem modo appellare quo ab alienis appellentur ut qualis ille de quo dicunt ab omnibus existimetur significant. Docebunt hoc Mercklinum quae Cicero illo loco Antonium irridens adiicit. *Hoc est, inquit, dicere et consul et impudicissimus, et consul et homo nequissimus.* Gravissime igitur Cornelia non Tiberium, hoc est filium, sed Tiberium Gracchum, hoc est praestantissimum filium, ab inimicis necatum scripsit.

Supersunt argumenta ab adversariis ex oratione petita. De quibus priusquam dicamus paucis respondendum est Godofredo Bernhardio, qui hist. litt. Rom. p. 88 not. 152 haec posuit: 'Der unbekante verfasser', inquit, 'von zwei vorgeblichen briefen der Cornelia die dem Cornelius Nepos beigegeben werden muss sich von ihrer sprache eine wunderliche vorstellung gemacht haben, worauf schon die betrachtung von Cic. de orat. iii. 42 nicht führen konnte.' Eo Ciceronis loco haec loquitur M. Crassus: *Equidem cum audio socrum meam Laeliam (facilius enim mulieres in-corrumpam antiquitatem conservant, quod multorum sermonis expertes ea tenent semper quae prima didicerunt), sed eam sic audio ut Plautum mihi aut Naevium videar audire.* Videtur igitur Bernhardus nimis recentem horum fragmentorum colorem existimasse. Id recte iudicatum esse concedo si iis comparentur quae ex Naevio supersunt, quamquam reputandum est orationem antiquiorum scriptorum qui interierunt sine dubio multo longius a consuetudine inferioris temporis nobis discessisse videri quam re vera discesserit, quia quae servata sunt praeter perpauca a grammaticis sunt relata qui id egerunt ut insolentissima quaeque exciperent. At non, si Laelia Ciceroni Naeviano sermone uti videbatur, ut idem de Cornelia existimemus cogimur, idque eo minus quod coniuge mature defuncto domum eius a multis viris et Graecis doctissimis frequentatam esse constat (Plut. C. Gracch. 49), quo argumento recte iam Mercklinus contra Bernhardium usus est. Apud Plautum autem et magis etiam apud Terentium, ad cuius comparisonem rectius vocamur, qui quaeret non paucis locis plura verba coniuncta inveniet quam quae ex Corneliae epistolis servata sunt non maiorem antiquitatis speciem praefereant. Neque tamen equidem personarum Plautinarum et Terentianarum plane eundem sermonem atque Corneliae fuisse existimaverim. Sed tota haec de oratione disputatio, ut in quaestione nostra diiudicanda momentum faciat, certa et firma argumenta desiderat; quae neque prolata sunt ab iis qui fragmenta Corneliae impugnarunt neque posse proferri existimo.

Primum nonnulla neglegentius scripta visa sunt. Scilicet Corneliae aetate in ullo orationis genere aut ullo tempore in epistolis scribendis nisi quas eo consilio scriberent ut ederentur ita versati sunt homines ut nobis quam limatissima et politissima omnia viderentur. Et tamen quae in hoc genere reprehensa sunt! Quaerit Langius quaenam sint istae res quae § 2 vage commo-
morentur. Non poterat Gaio dubium videri quin Tiberii fratris

et ipsius consilia dicerentur, de quibus non tum primum matrem cum eo egisse apparet, et quis affirmabit ante haec verba in eadem epistola accuratius de his rebus non fuisse dictum? Vidit hoc Mercklinus (p. 41), sed tamen huiusmodi negligentiam saepius recurrere existimat et ascribit verba *ea persequi* (§ 1), *ei rei* (§ 3), *ea perseverare* (§ 4); quorum locorum primo *ea* apertum est referri ad verba *inimicos ulcisci*, de qua re infra dicitur, altero verbis *ei rei* significari proxima superiora et tertio pronomine *ea* omnia quae in epistola dissuaserat Cornelia, id vero homo doctus est docendus? Eidem Mercklino intra paucos versus eadem aut similia se excipere videntur. Ad quam rem comprobandum cum haec poneret: *res publica profligetur atque pereat* (§ 1) et *rem publicam profliges* (§ 3), *perpudescet* (§ 3) et *pudet* (§ 4), *mihi placere* (§ 2) et *tibi placere* (§ 4), *in senectua haberem* et *cui parva pars vitae superest* (§ 2) et *ne id quidem tam breve spatium* (§ 3), parum cavet ne risum hominum moveret; at indignationem non effugiet qui tam alienus ab orationis vi perspicienda ad hanc quaestionem accesserit ut § 4 verba *ubi mortua ero* et *perseverare* negligenter repetita existimaret. Sed haec simplicitatis totidem et antiquitatis documenta videri et festinanter scribenti et modo scripta parum recordanti tribui posse opinatur. ‘Talia profecto’, inquit, ‘in utramque partem trahi possunt, sed tamen studio magis et consilio quam casui debere videntur.’ Ita puto, falsarius Ciceronis aetate inferior id egisset ut negligenter scriberet.

Notum est temporibus proximis superioribus certissimum telum quo genuini veterum scriptorum libri impugnarentur illud esse visum ut prolatis quibusdam verbis haec declamatoria esse affirmaretur. Itaque in his quoque Corneliae fragmentis Heerenio apertissime declamatorem prodere visa sunt haec verba § 4: *Ne ille sirit Iuppiter te ea perseverare nec tibi tantam dementiae venire in animum! Et si perseveras, vereor ne in omnem vitam tantum laboris culpa tua recipias uti in nullo tempore tute tibi placere possis.* Quid inest igitur in his verbis fucatum, a vero abhorrens, ultra modum exaggeratum? Talia enim profecto declamatoris propria existimanda sunt, cum in vitio id nomen ponitur. Nihil huiusmodi neque ab Heerenio neque ab aliis demonstratum est. Sed vehementiorem accusatorem nacta sunt verba § 2: *Verbis conceptis deierare ausim praeterquam qui Tiberium Gracchum necarunt neminem inimicum tantum molestiae tantumque laboris quantum te ob has res mihi tradidisse.* ‘Qui quaeso’,

inquit Langius, 'in tali re exspectet conceptorum verborum solemnitatem, quis iurisiurandi religionem? Ridicula profecto mater cui ad indignationem suam filio comprobendam iureiurando opus est.' Levis profecto res filium dolorem matri non minorem quam inimicos intulisse! Nihil materno animo magis convenit quam ut hoc filium adeo inscientem fecisse existimet ut ne matri quidem affirmanti crediturus sit. Recte igitur iusiurandum adiicit, ut quae incredibilia filio visum iri putat persuadeat. Et tamen si praeter necessitatem iureiurando usa esset Cornelia, parata excusatio esset. Quam graviter enim commoto animo haec a matre scripta esse consentaneum est quae praestantissimo filio crudelissime interfecto alterum non minus praestantem unumque ex filiis superstitem ad certissimam pestem rapi videret!

Verum his Heerenii et Langii argumentis non multum tribuit Mercklinus. Summo vero iure ab eodem Langio reprehensam putat intolerabilem battologiam horum verborum § 3: *Denique quae pausa erit? Ecquando desinet familia nostra insanire? ecquando modus ei rei haberi poterit? ecquando desinemus et habentes et praebentes molestiis insistere?* Hic Mercklinus defensorem aliquem dicturum putat talia Corneliae iam senescenti condonanda esse. Rectius cavisset ne ipsi excusatione opus esset. Pro Cornelia enim respondebit A. Gellius xiii. 24, 11. Is cum locum quendam Ciceronis posuisset quo eadem res pluribus verbis declararetur, haec adiicit: *Quia cum dignitate orationis, inquit, et cum gravi verborum copia dicuntur, quamquam eadem fere sint et ex una sententia cooriantur, plura tamen esse existimantur, quoniam et aures et animum saepius feriunt. Hoc ornatus genus in crimine uno vocibus multis atque saevis exstruendo ille iam tunc M. Cato antiquissimus in orationibus suis celebravit, sicut in illa quae inscripta est De decem hominibus, cum Thermum accusavit quod decem liberos homines eodem tempore interfecisset, hisce verbis eandem omnibus rem significantibus usus est, quae quoniam sunt eloquentiae Latinae tunc primum exorientis lumina quaedam sublustria, libitum est ea mihi ἀπομνημονεύειν: Tuum nefarium facinus peiore operire postulas: succidias humanas facis, tantam trucidationem facis, decem funera facis, decem capita libera interficis, decem hominibus vitam eripis indicta causa, iniudicatis, incondemnatis.* Hunc Catonis locum, quo nihil Corneliae verbis supra positis similius esse potest, Langio et Mercklino quod ignoraverunt vitio non verto; id miror adeo eos humanae consuetudinis ignaros fuisse ut nescirent omnes homines, cum animo vehementer commoto de

aliqua re dicerent, eandem rem aliis verbis identidem repetere atque inculcare solere. Sed obfuit iis et hic et in aliis rebus quod qui affectus Corneliae haec scribenti convenerit non satis perspexerunt.

Denique in singulis verbis perpauca reprehensa sunt. Neque reputarunt adversarii nihil se agere cum quae apud alios scriptores non legerentur colligerent. Quis enim scriptor non solus quaedam posuit? aut quis mirabitur in his fragmentis inveniri quae aliorum scriptorum exemplis comprobare non possumus, cum scriptorum Corneliae aequalium tam exiguae reliquiae sint? Id demonstrandum erat in his fragmentis legi quae non potuissent scribi aut ab Romano homine aut ab aequali Corneliae. Insolitum et singulare Mercklino visum est quod § 3 legitur, *perpudescet*. At satis multa verba et a simili stirpe eodem modo derivata et semel posita legimus, ut duo illi simillima, *pertaedescit* a Cat. de re rust. 156: *nolito multum dare, ne pertaedescat*, et *perdolescit* ab Accio ap. Non. p. 110 Merc.: *nec perdolescit fligi socios, morte campos contegi*. Quaerit Langius quis Latine dixerit, ut hic factum est § 2, *molestiam aut laborem alicui tradere*, idemque Mercklino inauditum et male Latinum videtur, excusat tamen tamquam ex Graeco *μεταδιδόναι πόρων* (Eur. Or. 275) tractum. Non accipimus excusationem: nam Graecum illud Latine est *impertire labores* (Cic. p. Sull. 3, 9). Sed *tradi* dicuntur quae ita dantur ut ad aliquem perveniant. Quidni igitur molestia aut labor tradi recte dicatur, cum et dari et accipi similia saepissime dicantur? Notissimum est illud

Malum dabunt Metelli Naevio poetae,

atque hoc *malum dare* multis locis posuerunt Plautus et Terentius (Curc. iv. 4, 15. Cas. iii. 6, 9. Bacch. v. 2, 53. Merc. iii. 4, 58. Poen. i. 1, 33. iv. 2, 106. v. 2, 138. Pers. v. 2, 66. Rud. i. 2, 20. iii. 5, 14. Stich. i. 3 [ii. 4], 106. Truc. ii. 4, 17. Eun. iii. 3, 2. Andr. i. 4, 116. ii. 5, 20. Phorm. v. 7, 83), itemque *dammum dare* Cist. i. 4, 408. Truc. ii. 4, 17. Andr. i. 4, 116; *supplicium* Mil. ii. 6, 31. Eun. i. 4, 24; *dolorem* Cic. ad. Att. vii. 13a, 1. Et cum diceretur *operam dare alicui*, Ter. Phorm. ii. 3, 37 de hominibus qui invicem sibi operam dabant dixit *tradunt operas mutuas*, et Plautus pro eo quod pervagatum est, *effectum aliquid dare*, Curc. iii. 15 *ego hoc effectum lepide tibi tradam*. Denique Mercklinus *partes tolerare* ita positum ut significetur in locum alicuius succedere aegre reperiri putat. Sane eo significato ne poterat quidem poni. Verum hic § 2 *partes tolerare* est partes

sustinere. Quod qui minus recte dictum videri possit, cum proprie onera tolerari dicantur, uni autem Gaio a matre omnium liberorum quos habuerit partes imponantur, equidem non perspicio.

Nullum argumentum quamvis leviter ab adversariis positum praetermisimus: satis superque demonstratum esse arbitror omnia futilia esse et nugatoria. Et tamen refutanda erant, ut tandem aliquando pervagatus de Corneliae fragmentis error tolleretur, quem non alii solum docti homines sibi obrudi passi sunt, sed etiam Nitzschius, qui si, ut debuit, accurate hanc causam examinasset, in libro de Gracchis p. 455 extr. non ea posuisset quae ne inconsiderate scripsisse videatur non poterit defendere. Quod si post saecula aliquot nostris litteris eadem calamitas quae Graecis et Latinis acciderit et qui tum erunt homines Langium et Mercklinum doctos viros fuisse et acutos acceperint neque ad eos ex horum libris quicquam praeter ea quae de Corneliae fragmentis scripserunt pervenerit, cum haec neque docta esse neque acuta perspexerint, nihil puto quod ipsis auctoribus mirabile videri possit facient si suppositicia esse iudicabunt. Iidemque cum Langium clamoribus pro argumentis usum, Mercklinum (p. 45) et mortiferos Langii ictus commemorasse et illa conclusiuncula quam p. 96 reprehendimus confisum quae in fragmentis legerentur a Corneliae moribus aliena iudicasse videbunt, non sine causa declamatores se convictos tenere existimabunt. Quae cum acciderint, si fieri possit quod non potest, ut Langius et Mercklinus reviviscant et sua esse affirment quae suppositicia visa sint, tum si illi qui ita iudicaverint ipsis quidem affirmantibus credant, sed qui illa scripserint neque doctos sibi videri neque acutos dicant, quid habebunt quod respondeant? Neque enim haec iniquius iudicata esse quam ipsi de Corneliae fragmentis iudicaverint demonstrare poterunt. At nos aequiore iudicio posteros usos speramus, et cum reputaverint doctis et acutis accidere posse ut et indocte nonnulla et non acute scribant, neque quae a Mercklino et Langio scripta sunt a declamatoribus conficta existimatos neque dubitatos, ut ne nos quidem dubitamus, quin docti illi viri fuerint et acuti.

His quae hactenus disputavimus etsi officio nos satisfacisse iudicamus, cum, si fragmenta de quibus agitur non potuisse a Cornelia scribi non fuerit demonstratum, codicum testimonio qui Corneliae esse tradunt fides haberi debeat, tamen ut hanc quaestionem quantum fieri a nobis potest absolvamus, et quae ab

adversariis non reprehensa alios offendere possint explicabimus et quibus nostrum iudicium confirmari videatur colligemus.

Primum igitur in his verbis § 1: *Sed quatinus id fieri non potest, multo tempore multisque partibus inimici nostri non peribunt atque uti nunc sunt erunt potius quam res publica profligetur atque pereat* ablativi multo tempore multisque partibus referuntur ad comparativum potius et significant quanto potius id quod fore dicitur futurum sit quam id cui comparatur. Verba autem multis partibus hic eo modo posita sunt de quo dixit Madvigius ad Cic. de fin. p. 328 et ad homines relata significant magno numero, ut apud Cic. ad. fam. 1. 2, 2 *perspiciebant enim in Hortensii sententiam multis partibus plures ituros* et Cael. ad Cic. fam. viii. 9, 3 *turpe tibi erit Patiscum Curioni decem pantheras misisse, te non multis partibus plures*. Ac ne quis miretur adverbium potius ad iungi verbo *erunt*, hoc non pro copula ponitur sed significat *existieren*. Denique futura *peribunt* et *erunt* coniunctam habent significationem et eius rei quae futura sit et quam Cornelia fieri velit, ut apud Plaut. Amph. prol. 13: *Haec ut me vultis approbare, annitier, lucrum ut pereunte vobis semper suppetat, ita huic facietis fabulae silentium itaque aequi et iusti hic eritis omnes arbitri*. Atque de his verbis nihil interpretes annotarunt, nisi quod Petavio pro multis partibus male multis aetatibus scribendum visum est; minus recte explicarunt quae § 3 leguntur: *ecquando peripudescet miscenda atque perturbanda re publica?* Nam quod contulerunt ex Tac. Agr. 32 *pudet dictu*, non est simile, cum supinum quod alterum vocant non ablativus, sed dativus sit substantivi verbalis; atque hoc supinum Tacitus ad adiectivum retulit quod coniunctum cum copula inest in verbo *pudet*, quasi paulum immutata sententia scripsisset *pudendum est*. Ablativus autem non potest ita poni ut aptus sit a verbo *pudet* et similibus, neque eo significatur cuius rei pudeat; sed verbo absolute posito ablativus quare pudor excitetur demonstrat. Atque ita praeter Corneliam Plautus scripsit Bacch. iii. 1, 12: *neque mei neque tui intus pudicitum est factis quae facis*. Paulo post § 4 in his verbis: *Ubi mortua ero, parentabis mihi et invocabis deum parentem*, cum Salmasius scribendum dixisset *deos Manes parentis*, recte Heusingerus *deum parentem* idem significare dixit. De divino Manium cultu qui doceri cupient, inspiciant libros a Mercklino commemoratos, Hartungi Rel. d. Röm. 1 p. 44, Hertzbergii de dis Rom. patriis p. 3, Schoemanni de dis Man. Lar. Gen. p. 41. At verba *deum parentem* non ita explico ut Corneliam *parentem* masculino genere de

se posuisse putem, de qua re prudentius certe quam Charisius eo loco quem supra p. 99 tractavimus dixit Paulus Diaconus p. 451 ap. Muell.: *Masculino genere parentem appellabant antiqui etiam matrem*; sed deum omnino pro numine divino dictum existimo nulla sexus significatione qui a dis Manibus alienus videntur. Neque aliter explicari debent haec Ciceronis Verr. iv. 49, 407 de Cerere et Proserpina: *quod horum in his locis vestigia ac prope incunabula reperiuntur deorum* et Catuli ap. Cic. de nat. deor. i. 28, 79 de Aurora: *Mortalis visus pulchrior esse deo* et Vergilii Aen. ii. 632 de Venere *ducente deo* et Calvi *pollentemque deum Venerem*, quae Servius et Macrobius (Sat. iii. 8) commemorant. Proxima verba *eorum deum preces expetere* interpretes recte defenderunt exemplis Plauti Rud. i. 5, 4 *Qui sunt qui a patrona preces mea expetessunt* et Catulli 68, 65 *iam prece Pollucis, iam Castoris implorata*, quam Italorum correctionem (nam in bonis codicibus est *implorate*) praefero Lachmanni coniecturae *imploratu*. Videntur in his minus accurate preces et benignitas deorum quae precibus expetitur confusae esse.

Atque ut iis satisfaciamus si qui verborum Corneliae recentiorem colorem esse existimant, enumerabimus ea quae antiquioris sermonis propria Ciceronis aetate nisi a poetis et antiquariis non sunt posita. Sunt autem praeter illud *deum preces expetere*, de quo diximus, haec: § 1 *atque* post comparativum, *quatinus* pro *quoniam* positum, § 2 *deierare, senecta*, § 3 *pausa*. Atque horum vocabulorum usum quae demonstrent idonea exempla Handii Turs. i. p. 472 et Forcellinii lexicon praebent. Ex eodem genere est haec verborum coniunctio § 2: *omnium eorum quos antehac habui liberos*, substantivo ex enuntiatione primaria in relativam trajecto, qua usi sunt Plaut. Curc. iii. 63 *ut ei detur quam istic emi virginem*, Cas. v. 4, 6 *quid fecisti scipione aut quod habuisti pallium*, Merc. ii. 4, 6 *ei ne noceret quam domi antehabui capram* et Ter. Andr. prol. 3 *populo ut placerent quas fecisset fabulas*.

Verum haec ut demonstrant non recte antiquitatis colorem in his fragmentis desiderari, ita facile a falsario ad fraudem tendendam poni poterant. Plus tribuo universae orationis conformationi, quae minime anxie structa permulta habet liberioris motus impressa vestigia qui et antiquae simplicitatis et eius securitatis quae familiaribus epistolis convenit proprius est neque ita videtur effingi potuisse ab eo qui verbis intentus ne quid fraudem proderet sollicito animo circumspiceret. Ita § 1 qui anxie ad

verba orationem exegisset non scripsisset *ea persequi* sed *id*, cum unum commemoratum esset ad quod haec referrentur, *inimicos ulcisci*, et de hoc initio huius enuntiati pronomen *id* positum esset. Sed Cornelia quae res non verba sequeretur pluralem posuit, cum ea quae inimicos ulciscendi agenda essent animo obversarentur. Item sequentia, de quibus supra diximus, impeditiis et securius sunt scripta. Eodem pertinet pronomen *eorum* paucis interpositis repetitum in his verbis § 2: *quem oportebat omnium eorum quos antehac habui liberos partis eorum tolerare*, quibus similia sunt haec Ter. Hec. prol. 2, 6: *In his quas primum Caecili didici novas partim sum earum exactus, partim vix steti*; qui locus demonstrat nihil opus esse Rothii correctione *omnium meorum*. Denique in his eiusd. § verbis: *uti nefas haberes rerum maiorum adversum meam sententiam quicquam facere, praesertim mihi cui parva pars vitae superest*, hic igitur nihil est in enuntiato primario a quo dativus *mihi* aptus esse possit, sed liberius pronomen sententiam verborum *adversum meam sententiam* repetit et attractione quadam enuntiato relativo coniungitur, cuius rei exemplum est apud Plautum Aul. III. 6, 37: *Ego te hodie reddam madidum sed vino probe, tibi cui decretum est bibere aquam*.

Sed his rebus utrum alii codicum testimonium quo haec fragmenta Corneliae Gracchorum matri tribuuntur confirmari iudicent necne nihil ad nos. Nobis satis est demonstrasse nihil in his inesse quod a Cornelia alienum videri possit. Quod si qui tamen dubitare velint num haec fragmenta genuina sint, ii aut se ineptos esse confiteantur aut firma argumenta proferant quibus haec non potuisse a Cornelia scribi evincatur.

LIBRARY OF CONGRESS



0 003 092 452 6 ●



LIBRARY OF CONGRESS



0 003 092 452 6 ●